

Q. D. B. V.
DISSERTATIO ANATOMICO-PHYSIOLOGICA

DE
L I E N I S
G E N V I N I S
V S I B V S

QVAM
SVB PRAESIDIO
JO. ANDREAE SCHMIDII
MEDIC. DOCT. ET PROF. PVBL.
EXTRAORD.

P R A E C E P T O R I S S V I
V E N E R A N D I

PUBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
D. XXIII. OCTOB. A. MDCCXXIII.

IN IVLEO MAIORI
SVBIICIET
HENRICVS FRIDERICVS SCHMIDIUS
HELMSTADIENSIS.

HELMSTADII,
Typis PAVLI DIETERICI SCHNORRIL.
ACAD. TYPOGR.

Anat.

B.

S 256, 24

anat 393

PER-ILLVSTRI
AC GENEROSISSIMO DOMINO,
DOMINO
JOSIAE DE VELTHEIM
HAEREDITARIO IN OSTRAV, KROP-
STEDE, JAHME
ET RELIQVA
POTENTISSIMAE REGIAE MAIESTATI POLO-
NICAЕ AC ELECTORI SAXONIAE
A CVBICVLIS
PATRONO SVO GRATIO-
SISSIMO
IN
DEVOTI GRATIQVE ANIMI TESSERAM
PRO
MAXIMIS BENEFICIIS EXHIBITIS
CVM VOTO OMNIGENAE FELICITATIS
STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS
EA QVA PAR EST ANIMI SVBMISSIONE
OFFERT ET DEDICAT
H. F. SCHMIDIUS.



Seculum, quo nobis vivere divina concessit clementia, quantum scientiarum artiumque attinet augmentum atque incrementum, felicitate praeterita longo post se interuallo relinquere tempora, luce meridiana clarius esse, nemo inficias ire suscipiet. Testantur id volumina Theologorum, evincunt idem scripta J^Ctorum, ea de re nos certiora faciunt ratiocinia & experimenta philosophorum, ac prae reliquis omnibus hoc molimina medicorum luculenter satis demonstrant. Quem enim fugere poterit ad quantum fastigium medicum studium evectum sit, postquam anatomicis laboribus solertissimi medici praeterito aequa ac praesenti seculo maiorem operam navauerunt, sane absque anatomicis adminiculis, genuinam viscerum structuram exhibentibus, physiogiam mancam esse vel ille, qui talpa magis coecus est, videbit. Et quomodo is de statu hominis praeter naturam firmum solidumque subministrabit iudicium, cui ignorantum est, quomodo vasa atque fibrillae viscerum secundum naturam sint disposita? Quis denique convenientia remedia morbis opponet, cui, lege contrariorum ex anatomicis & physiologicis haud patet qua-

A 2

ratio.

ratione per morbificas causas naturalis viscerum stru-
ctura sit immutata? Multo felicius faciliusque illi de
viscerum usibus iudicium ferre, morborum causas
enodare, & idonea medicamenta contra morbos pro-
pinare poterunt, qui viscera sedulo rimando, eorun-
dem exactam structuram sibi perspectam reddide-
runt. Tale circiter, illudque pluribus verbis exor-
natum prooemium, illi scriptis suis praefigere solent,
qui vel integrum physiogiam exhaustire, vel certi
cuiusdam visceris usum explanare conantur. Ho-
rum consuetudinem & ego, dum dissertationem de
L I E N I S G E N V I N I S V S I B U S conscribere sustineo,
ad imitationem mihi proposuisse nisi ipsa huius ma-
teriae pertractatio satis superque ostenderet, sine accu-
ratissima lienis structurae cognitione nihil certi de
illius usu definiri posse, & ex cognitione usus lienis
quaedam haud spernendae in praxi utilitatis monita
fluere. Quare sine prolixis ambagibus treti Summi
Numinis auxilio ad id cuius causa hic labor est susce-
ptus nos conuertemus.

Cap. I.



CAP. I.

DELINEATIONEM STRVCTVRÆ LIENIS SVPPEDITANS.

§. I.



Vnde si veterum medicorum perscrutatur volumina, in quae monumenta anatomica congeserunt, ex illis facile colligimus, priscis medicinae antistitibus interiorem lienis structuram haud superficiarie fuisse perspectam, cum suo iam aevo GALENV^s (a) tradiderit, multas magnasque arterias per totum hocce viscus esse disseminatas. Patet proinde REALDVM COLVMBVM superficiarie nimis Galeni volumina pervoluisse, dum asserit (b) Galenum, venas arteriasque lienis substantiam permeare, negasse. Imo vltiores progressus medicorum post Hippocratem princeps fecit dum (c) illorum sententiam, qui adfirmabant lienis substantiam esse parenchymaticam, tacite redarguit.

A 3

Mira-

(a) de usu part. corpor. hum. Lib. IV. Cap. XV.
Cap. VII. p. 425. (b) de re anatom. Lib. XI.

6 CAP. I. DELINEATIONEM STRVCTVRAE

Miramur proinde haud paucos illosque praestantissimos recentiorum anatomicorum lienem, potius cum Erafistrato, viscus parenchymatum, quam cum Galeno vasculosum appellare voluisse, prout huius erroris vestigia deprehendimus in scriptis IOANNIS GvINTERII ANDERNACI, (a) VOLCHERI COITERI, (b) CASPARI BAVHINI, (c) ANDREAE LAURENTII, (d) THOMAS BARTHOLINI (e). Imo ipse anatomiae restaurator ANDREAS VESALIVS, (f) licet ipsi lienis constructio, intime nota esset, vti in postmodum dicendis euincemus, haud tamen dubitavit, praceptorum forsan auctoritate, aut oforum metu, ad id inductus adserere, crassum sanguinem fibris splenicis esse circumfusum. Tanti via uictoritate ad eandem sententiam amplectendam & alii magni nominis medici permoti fuerunt, ex quorum numero nominasse sufficit GABRIELEM FALLOPIVM, (g) GOTHO-FREDVM MOEBIVM, (h) IOANNEM VAN HORNE, (i) CASPARVM HOFFMANNVM (k).

§.II. Haecce de parenchymatica lienis substantia opinio tam alte posterorum medicorum mentibus infixa haefit, vt non, nisi recentissimorum prosectorum indefessa industria ex illa excuti potuerit, quorum solertiae debemus, quod nostris temporibus liceat perfectiorem splenis definitionem suppeditare, quam sequentibus verbis includere placet. Lien est viscus tenuarium ad sinistrum ventriculi latus collocatum, figurae ratione linguam humanam fere referens, magnitudinis & coloris pro subiectorum varietate diuersi, cum nonnullis vi-

sce-

(a) Institut. anat. L. 1. p. 31. (b) in extern. & intern. principal. human. corpor. part. tabulis p. 24. (c) de corpor. human. fabr. lib. 1. cap. 30 p. 108. (d) Histoire anatomique p. 670. (e) Anat. renov. L. 1. cap. XVI. pag. 159. (f) de hum. corp. fabric. Lib. V. cap. IX. p. m. 627. (g) In obseruat. anatom. oper. p. 465. (h) in fundament medicin. physiolog. p. 375. (i) in microcosm. p. 63. (k) de ysu lienis cap. L p. 8.

sceribus connexum, eum ob finem ex innumeris arteriis, venis, lymphaticis vasis & neruis, peculiari membranae inuolutis, contextum, vt purpura vitalis in illud impulsa fluidior reddatur & proinde varia emolumenta in hepar redundant.

§.III. Veterum monumenta anatomica si cum modernorum laboribus conferamus, facile inde elucescat, illa natura rei duce quoad externam lienis descriptionem parum, vel non nisi in rebus minoris momenti a se inuicem discrepare. Consentunt siquidem omnes in eo lienis viscus esse vnicum, cui non obstat, quod a nonnullis bini splenes, vt a IOANNE POSTHIO, (a) imo a GABRIELE FALLOPIO (b) & PHILIPPO VERHEYENO (c) tres splenes sint in humano cadasuere reperti. Lienis situm non in hypochondrio sinistro, id quod IOANNI VESLINGIO (d) THOMAE BARTHOLINO (e) aliisque arride-re video, sed circa ventriculi sinistram sedem magisque versus inferiora ac posteriora, quam anteriora inuestigandum esse, post ANDREAM VESALIVM (f) docuit GVNTHERVS CHRISTOPHORVS SCHELHAMMERVS (g) quibus viris obiici quidem posset, lienis substantiam tactum incurrere, hoc tamen dubium minimi momenti esse illi facile concludent, qui ponderabunt splenis sedem non nisi in statu morboſo manus ope posse explorari, cum praesertim parte acuminata tantum ventriculum attingat, potiore parte circa costarum spuriarum extrema, dorsi partem constituentia, delitescente. Figuram lienii HIPPOCRATES (h) tribuit plantae pedis similem; comparare eundem cum lingua bubula aliis, (i) qui tam saepius brutorum quam hominum cadasuera consuluis-

se

(a) In obseruation. anat. annexis Columbi anatom. p. 504. (b) in obseru. anat. oper. p. 465. (c) Anat. corp. hum. p. 85. (d) in Syntagm. anatom. p. 66. (e) Anatom. renou. p. 155. (f) l. c. p. 626. (g) in analect. anatom. physiol. diff. X. §. V. (h) Libr. de Anat. Sect. 3. (i) Vesling. l. c. p. 65. Bartholin. l. c. p. 108, & aliis,

8 CAP. I. DELINEATIONEM STRVCTVRAE

se videntur, volupe est; maiorem ea propter fidem illi (a) mereri videntur qui spleni humanam linguam haud adeo dissimilem esse iudicant. Simul attendendum venit pro ambientium partium conformatione lienis figuram immutari, sic vbi fornix diaphragmatis id permittit convexam, inferius concauam aliquantis per partem visui offert & interdum duas vel tres notas, a costis impressas ostendit (b). Simul in inferna partes linea alba, per longitudinem visceris decurrentis vasa sanguifera una cum omento admittens, in conspectum prodit. Magnitudinem lienis certam definire haud licet. Non me quidem fugit eidem in hominibus longitudinem quinque, sex vel septem, latitudinem trium, crassitatem vnius alteriusque pollicum & pondus duodecim praeter propter vnciarum a celeberrimis anatomicis adiudicari, hoc tamen de omnibus subiectis indubitate asseri haud posse, ne illorum, qui lienis morbis laborent mentionem iniiciam, ex sectione ultra centum cadauerum animaduertit, cui anatomicos inter haud postremus locus assignandus venit, FRANCISCVS DE LE BOE SYLVIVS (c) ex cuius obseruationibus patet nullum viscum quoad magnitudinem & figuram magis variare eodem ipso liene. Euincunt idem, quas aliorum solertiae debemus, annotationes, magnitudinem splenis pro differentia regionum, structurae corporis & alimentorum insigniter discrepare, ita ut lienes istorum, qui humidas regiones inhabitant venisque amplioribus sunt instructi, & in specie Frisorum, pro potu ordinario lac ebutteratum ingurgitantium in insignem molem excreverint, & contra illorum splenes quorum atmosphaera aridior, sanguiferaque vasa angustiora erant magnitudine non adeo notabili in conspectum prodierint. (d) Colorum lieni atrum ANDREAS VESALIVS (e) ex atro purpureum IOANNES VESLINGIVS (f) & post

(a) Schelham. l. c. §. VI. Verheyen Anat. Tract. II. C.XVI. (b) Schelham. l. c. §. VI. (c) dissert. med. V. §. VIII. (d) confer. Io. Maur. Hoffm. idea machia, human. p. 61. (e) l. c. p. 627. (f) l. c. p. 65.

& post hunc alii adiudicant. Verum dolemus nobis, veritatem ducem elegantibus, non licere cum tantis viris eandem sententiam amplecti, afferendo aequalem in omnibus subiectis esse lienis colorem. Sane qui mediocriter in veterum scriptis versatus est, nescire praeceunte GALENO (a) haud poterit, lienis colorem in leone, cane, aliisque animalibus ad nigredinem, in suibus ad albedinem accedere, nec ipsum lienis viscus in hominibus semper aequali colore pictum deprehenditur, cum ex obseruationibus THOMAE BARTHOLINI (b) & PHILIPPI VERHEYENI (c) pateat splenis colorem pro diuersitate aetatis varium annotari, dum in foetu & illis quorum corpus adhuc in longitudinem extenditur rubedinem, in adultis subnigricantem, & in istis qui seros vitae annos attingunt liuorem adspiciendum offerat. Commercium cum diuersis partibus alit, sic suprema parte per fibras à peritonaeo dimissas cum diaphragmate connectitur, illius etiam ope inferius reni sinistro cohaeret; praeterea nexus vasorum communium ac a membranis promanantium fibrum omento & pancreati iungitur, & tandem interuentu vasorum brevium ventriculo laxius agglutinatur. Membranae lieni promiscue binae adiudicantur, & quidem ab oculatissimis alias anatomicis, MARCELLO MALPIGHIO, (d) PHILIPPO VERHEYENIO (e) & cum his ab aliis, qui tam lienis descriptionem potius ex vitulorum & boum, quam hominum cadaueribus petiisse videntur, cum maiori iure accuratores recentiorum anatomicorum, ducibus IOANNE VESLINGIO (f) & THOMA BARTHOLINO (g) spleni humano unicam eamque satis tenuem ac friabilem (h) membranam concedant, hanc autem quo iure nonnulli peritonaei sobolem appellant illi diiudicent qui huius sententiae fautores deprehenduntur.

B

§. IV.

(a) de anatom. administr. lib. VI. cap. X. (b) l. c. p. 159. (c) l. c. (d) in exeritat. anat. de viscer. structura p. 98. seqq. (e) l. c. (f) l. c. p. 63. (g) l. c. p. 159. (h) Conf. Fred. Ruysch, in Respons. ad Epist. problemat. IV. p. II.

10 CAP. I. DELINEATIONEM STRVCTVRAE.

§. IV. Maior anatomicos inter occurrit dissensus, quando interior lienis substantia est depingenda. Nam, ut taceam illorum opinionem, cui adhuc non pauci ex recentioribus nomina dederunt, qui parenchymaticam esse lienis substantiam asserebant, triplicem haud mediocriter à se inuicem discrepantem lienis interiorum recessum delineationem anatomicorum perspicacissimorum nobis suppeditant scripta. THOMAS WARTHONVS ac, qui paucis mutatis idem asserunt, NATHANIEL HIGHMORVS (a) & THOMAS BARTHOLINVS (b) strenue defendunt lienis viscus nihil aliud esse quam congeriem vasorum sanguiferorum, intertextis quamplurimis fibris siue filamentis tenuibus, validis, nulla cauitate pertusis, nec a sanguiferis vasis ortum ducentibus. sed potius quaquaversum ad tunicam prorepentibus indeque iterum reflexis ita ut retis instar complicatae sint, ac retis instar plurima foramina in vacuis interuallis contineant. Cum vero ipse HIGHMORVS (c) confiteatur hanc descriptionem desumptam esse ex porcis, aliisque animalibus, nec in humano cadavere tam planam demonstrationem perficere sibi licuisse, & praeterea modernorum solertia euicerit, splenem hominis animaliumque mirum quantum a se inuicem dispare, sineulla difficultate colligitur, exhibitam modo substantiae lienis descriptionem ad humanum splenem haud posse applicari. Nihilo minus tamen haecce visceris nostri delineatio tanto in pretio a posteris medicis fuit habita, ut nemmo aliam ab hac discrepantem in medium adferre ausus fuerit, antequam MARCELLVS M ALPIGHIVS anatomicorum decus a recepta & praeconcepta opinione recedendum esse iudicaret, qui, cum aliorum viscerum genuinam structuram propitia Lucina in lucem protraxisset, ad lienis quoque abstrusa investiganda & propalanda, quamuis non aequi felici successu, pedem admouit. Admittit siquidem oculatissimus alias vir supra memoratas fibras siue filamenta per

trans-

(a) In disquisit anatom. Lib. I. part. 3. Cap. 2. (b) I. c. p. 159. sq. (c) I. c.

transuersum lienis, ita tamen, ut a membranis eiusdem abeuntia, in commune inuolucrum vasorum, lienis medium perreptantium, desinant, producta; vero subiungit postmodum propria solertia obseruata, quae, vt pluribus a Malpighio declarato paucis complectamur verbis, in eo consistunt, quod lienis viscus sit membranarum, allegatis fibrillis conexarum atque firmatarum, congeries in cellulas, & concagationes distributa in quarum cellularum medio glandulae, siue vesiculae aut saccularum racemi, ouales, albae, innumerae instar vuae botrum connexae sint dispositae (a) Tanti viri auctoritate permoti praestantissimi fere quique recentiorum medicorum, vbi de lienis usu sermo est, Malpighianam descriptionem fundamenti loco praemittunt, testantibus id exemplis
IOANNIS BOHNII, (b) **IOANNIS MAVRITII HOFFMANNI**, (c) **PHILIPPI VERHEYENII**, (d) **GODOFREDI BIDLOI** (e) aliorumque, vnde factum est, quod magis exactam, prae illa a Malpighio suppeditata, lienis descriptionem exhiberi haud posse, longo satis interuallo creditum sit. Negligeabantur, altoque silentio ea premebantur quae **VESALIVS** tradiderat, donec incomparabilis industriae vir **FREDERICVS RYSCHEIVS** (f) tum rationibus demonstraret nullas glandulas in liene haerere, tum crebrioribus dissectionibus atque injectionibus ostenderet Malpighianam delineationem structuram quidem splenis in vitulo non vero in homine exhibere. Restaurauit itaque & ex orci faucibus reuo- cauit **ANDREAE VESALII** obseruationes, quod scilicet fibrae per lienis substantiam dispersae nihil aliud sint quam sanguifera vasa, in qua sententia illum haesisse, sequentia eius verba haud obscure innuunt: (g) *N*e*que profecto tenuis sanguis, quo lienem vulgo propter arteriarum frequentiam enutriri damus, sola raritatis substantiae lienis causa esse videatur, sed innume-*

B 2

rus

(a) Vid. Malpigh. l.c. p. 113. sqq. (b) Circ. anat. physiol. p. 249. (c) l. c. p. 61. sqq. (d) l. c. (e) Anatom. human. corpor. Tab. XXXVI. (f) l. c. p. 6. sqq. (g) Conf. Vesalius l. c. p. 627.

12 CAP. I. DELINEATIONEM STRVCTVRAE

rum ille fibrarum (VIX AVSIM ENIM ARTERIARVM DICERE ET VENARVM) implexus. Quae vero VESALIVS per transennam tantum viderat, ea felicissimis suis injectionibus, quibus plurima inventa debemus, ulterius patefecit oculatissimus RY SCHIVS, detegendo lienem humanum praeter arterias, venas, vasa lymphatica & neruos nihil admittere. Dissidentes quidem inuenit PHILIPPVM VERHEYENIVM in peculiari epistola ad RY SCHIVM exarata animaduersionibus in anatomiam Blanckadianam annexa (b) & post hunc GVNTHERVM CHRISTOPHORVM SCHELLHAMMERVM (c) quippe qui in ea haeret opinione, analogiam viscerum, quae hominibus cum brutis intercedit, postulare eadem ut sic lienis humani ac brutorum conformatio, quam consequentiam non vniuersalis veritatis esse varia docent, sic hepar humanum in diuersos lobos haud est diuisum, organa masticationi inservientia aliter in brutis quam hominibus sunt constituta, quis penem osseam duritiem aemulantem, qualem canes suggerunt, in viris, quis veteri cornua, & quae sunt alia vñquam in mulieribus perspexit? Alterum quod Ruyschio obiicit Schelhammerus dubium desumptum est a vasorum tenuitate, quorum exilitatem obstare existimat, quo minus liquore vel cera impleri queant. Ast qui semel præparata artificiosissimi viri attento oculo considerauit sine dubio animaduertit, in illis microscopii ope millena vasa liquore repleta in conspectum prodire, quae non armato oculo, licet lynceo, dignoscere impossibilibus merito adiudicamus, quare titubantem, ut ait Schelhammerus, animum oculata fides facile firmare potuisset.

§. V. Inconcluso itaque fundamento superstructae permanent Ruyschianae de lienis conformatio[n]e obseruationes, hocce viscus ex innumerorum vasorum neruorumque plexu esse

(a) p. 23. (b) I. c. §. xxxii. sqq.

esse compositum. Arterias siquidem ratione magnitudinis ipsius visceris capacissimas, illasque in maiori numero prae ipso hepate possidet quae rarius ab arteria magna ipsa ortum ducunt, frequentius ab arteriae coeliacae sinistro ramo deriuantur, qui simam lienis partem ingressus serpentino ductu totam illius latitudinem permeat, copiosissimos laterales ex minoribus minimos euadentes ramos per omnia eius spatia distribuit. Excipitur ex hisce arteriolis adductus sanguis a minoribus venosis tubulis, vndique per lienis corpus dispersis, qui sensim in maiores ramos, ac tandem vnum truncum coalescentes venae splenicae, vel rami venae portae splenici nomen ad quirunt, cuius ope non solum a liene refluus sanguis; sed etiam ex vasibus breuibus exceptus omnis venae portae infunditur. Egrediuntur praeterea ex iisdem arteriis lymphatica vasa, non tantum superficiem lienis, sed quoque interiora eius perreptantia, contentam lympham ad commune receptaculum deduentia. Nerui denique ad lienem a plexu lienari procedentes tendunt, quorum ramuli non tantum membranam illum ambientem permeant, sed praeterea in ipsa splenis recondita penetrant, praeprimis sanguifera vasa arte satis ambiunt illorumque tunicis sunt intertexti, dum singulas arterias ad minimam usque neruuli comitentur, quo harum systole maiori nisu perficiatur.

CAP. II.

SENTENTIAS DE LIENIS VSV
PRODVCTAS PONDERANS.

§. I.

Quod si unquam viscus humani corporis a condita stabilitaque arte medica Hygieiae proceribus, partium usum inquirentibus, molestiam creavit, & amplius

B 3

dis.

dissidiis ansam suppeditauit, id sane lien fuit, non immrito proinde a SCHELHAMMERO (a) pomum Eridis medicorum appellatus, quot enim capita, tot sensus, quot praestantiorum virorum intuemur scripta, tot fere diuersas deprehendimus opiniones, quare in tanto labyrintho ad veritatis rectum tramitem peruenire, non nisi deuiis notatis liberum erit. Ex horum numero, quo temporis & dignitatis ratio aliquo modo obseruetur primo loco ad ea accedamus quae diuus Covs (b) suis monumentis inseruit. Huic si fidem habemus, fons aquae est splen, siue aquam ex ventriculo ad se adducit, & eandem iterum ad ventriculum & vesicam ablegat. Tanto quidem viro minus digna est haecce opinio, cum nullus pateat ductus per quam aqua ex ventriculo ad lienem adduci, & ex eodem iterum ad stomachum atque vesicam reuehi queat, verum quis meliora ab istius aeui scriptore, quo physiologicum studium densissimis tenebris adhuc perfusum erat, poterit exspectare aut postulare?

§. II. Minore applausu digna sunt quae DEMOCRITO & post hunc RVFFO EPHESIO atque ERASISTRATO proferre placuerunt. Quorum sententiam proponit & acute satis refellit GALENVS (c) dum ait: *Eorum vero, quae a principio proposuimus, reliquias fuerit splen, ut censet quidem Erasistratus, ab eximia quadam sapientia frustra institutus: quem non pudet asserere tantum viscus a natura, nihil temere agente, (ipse enim bac adstruit) frustra extitisse.* Metuit scilicet, nec ubi artis suae obliuisceretur, cum foetui adhuc utero gestato hepar in dextris conformaret, ipsi ex sinistris partibus splenem opposuit, volens aliquid etiam bac parte moliri: perinde ac si ipsa, ventre paululum ad partes illas producto opus superfluum vitare non posset. Ipsa sane artificiosissima lienis conformatio solidissimum suppeditat argumentum quo huius sententiae refutari queant auctores & luculentissime demon-

stra-

(a) l. c. §. IV (b) Lib. IV. de Morb. Text. 2. & 9. de Morb. Mulier. Text. 87.

(c) de usu part. corpor. human. Lib. IV. Cap. 15.

strari non soli æquilibrii causa tam nobile viscus esse in finis stram corporis regionem dispositum. Et quale quaeſo aequilibrium respectu grauitatis hepatis a viscere, cuius moles adeo insignis haud est, exspectari potuifſet? Nitebatur procul dubio haec opinio istorum fundamento, qui ceneſebant, liuenſe fine vlla in corpus redundantem noxa eximere licere, quod figmentum tantopere a ueritate, quantum lux a tenebris, diſferre infra demonſtrandum ſumemus.

§. III. Accedit quidem ad Hippocratis de lienis uſu ſententiam philofophorum parens ARISTOTELES (a) in qua enucleanda & conſirmando defudauit CASPARVS HOFFMANNVS (b) dum philofopho duce euincere conatur lienis officium in eo confiſtere ut ex ventriculo humiditates excrementitias, non tamen plane inutiles attrahat, diſſentit vero ab Hippocrate dum poſtmodum ſubiungit eadem in ſanguinem in ſplenis vasis conuerti. Nouem utitur argumentis quibus extrā omne dubium poſitum eſſe credit per ramum ſplenicum chylum, ut loquitur, excrementium ad lienis interiora devehī. Cum vero ſtabilita circulatione ſanguinis nemo amplius adfirmare audeat per venas, ſi hepar excipias, aliiquid ad viscera adduci, & ſic per venas quae vasa breuia conſtruunt nihil cum liene communicatingi poſſe, nullumque vas chyliferum ad lienem abeat, Hoffmanni ratiociniorum refutationem inutilem ac ſuperuacaneam fore conſido, praefertim cum argumentis omni exceptione maioribus horum placita iam deſtruxerit celeberrimus MALPIGHIVS (c).

§. IV. Nefcio an riſu, commiſeratione aut indignatione digni ſint, qui lienem riſus auctorem eſſe ſibi perſuaderi paſſi ſunt, ſecundum illud vulgare:

*Cor ardet, pulmo loquitur fel commonet iras,
Splen ridere facit, cogit amare iecur.*

Sine

(a) Lib. III. de part. animal, cap. 7.

(b) Tractat de uſu lienis p. 32. ſeqq

(c) l. c. p. 128.

Sine dubio huius sententiae fundamentum eorum est superstructum obseruationibus, qui interdum annotauerunt in melancholicorum cadaueribus lienem male affectum esse deprehensum. Nullius applausum hanc rationem mereri quilibet faciebitur, cui praeeunte FRANCISCO DE LE BOE SYLVIO (a) notum est, nullum viscus, corde excepto, etiam in affectibus melancholicis minus ipso liene labefactatum offendit.

§. V. Appropinquandum ad alterum medicinae statorem GALENVM iam erit, ac perspiciendum, quales illius de lienis vsu cogitationes fuerint. In has si inquirimus faciliteruit negotio eundem triplicem lienii utilitatem adsignasse (b) quarum prima in eo consistit quod limosos, crassos, melancholicosque succos in hepate generatos per ramum splenicum ad se alliciat, deinde ex huius parte nobiliori alimentum sibi elaboret ac tandem illud, quod plenarie subigi nequit, & ex illius mente sic dictam atram bilem constituit, per vasa brevia ad ventriculum propellat, quo ibi ventriculum contrahat, cogatque ad cibos, quo usque sufficienter sint digesti, retinendos. (c) Cum huius viri dieteria tanquam ex tripode dicta tam a veneranda antiquitate quam plurimis modernorum sint excepta, mirandum non erit illius placita ab haud paucis plane non mutata suis scriptis inserta, a quibusdam non magnopere immutata fuisse promulgata. Quem enim fugere poterit ex veterum numero praeter Theophilum, Actuarium, Averhoen, ipsum ALEXANDRVM TRALLIANVM, (d) & PAVLVM AEGINETAM (e) similia cum Galeno tradere? & cui volupe erit ORIBASIVM (f) peruvoluere, facile deprehendet, eum ista quae de lienis vsu consignauit ferre verbotenus ex allegatis Galeni locis depromissae. Nec minor occurrit recentiorum medicorum, qui a Galeno receden-

dum

(a) l.c. §. VII. & XX. (b) l.c. lib. VIII. p. m. 492. (c) Conf. Galenus l.c. lib. V. cap. 4. (d) lib. XXIV. cap. 27. (e) lib. I. cap. 83. (f) Collect. medicin.

dum esse nefas putant, phalanx, quos Pergameni sectatores inter eminent JOANNES GVINOTHERIVS ANDERNACVS,
 (a) CASPARVS BAVHINVS, (b) ANDREAS LAVRENTIVS,
 (c) IOANNES FERNELIVS, HIERONYMVS REVSNERVS
 (d) & qui sunt alii. Haud vero inferior eorundem copia congeri poterit, qui ab oculis detracta caligine dilucide persperixerunt, a Galeno ea, quae lienis usum concernunt, perfecte tradita haud esse, sed quae ordinaria fons hominum est multitantum verbis a GALENO dissentiant, reipsa eandem fere cum illo fouent sententiam. Sic IOANNES WALLAEVS (e) docet lienem accipere melancholiam tenuem eamque ad ventriculum deferre, quam sententiam vberius explanat GERARDVS BLASIVS, (f) &, qui eidem nomina dederunt, THOMAS BARTHOLINVS (g) IOANNES RIOLANVS filius (h) FRANCISCVS OSWALDVVS GREMBSIUS (i) nec ab his discrepant quae proponit IOANNES BAPTISTA van HELMONT, (k) licet aliis quoque usibus lienem inseruire adserat. Multo minus ab his abludit DE LA CHAMBRE in *coniecturis de digestione* (l) euulgatis, in quibus pronuntiat lienis functionem praecipuam in eo esse positam, ut sufficientes spiritus ad alimentorum in ventriculo solutionem necessarios subministret. superfluum foret pluribus argumentis contra hanc sententiam insurgere, cum neque per ramum splenicum ex hepate ad lienem aliquid deriuetur, neque vasa brevia ad ventriculum aliud quid praeter purum genuinumque sanguinem deuehant, neque ventriculi cauitati aliquid infundant, nec denique vasorum brevium venae a liene ad ventriculum tendant, sed potius ramo splenico inserantur.

C

§. VI.

- (a) in Institut. anatom. p. 30. (b) de corpor. human. fabric. p. 109. (c) Hist. anatom. p. 676. sqq. (d) Lib. de scorbuto. (e) in Operib. p. m. 21. (f) in Comment. ad Vesling. anatom. p. m. 66. (g) l. c. pag. 170. (h) in Enchirid. anatom. lib II. Cap. 26. (i) in arbor integr. & ruinos. homin. Lib. I. Cap. VIII. §. 6. (k) in Tract. de Jur. duumuiri. §. 8. 13. de Sextupl. digest. §. 20. & passi malibi. (l) art. 50.

§. VI. Qui Septimii Seueri temporibus clarus euasit ALEXANDER APHRODISIENSIS ab hisce placitis recedendum esse iudicauit, noua dogmata de lienis vsu substituendo, (a) dum lienem aeque ac hepar sanguificationi inseruire adstruit, quod adsertum, praeter auctorem libri de respiratione, Galeno vulgo adiudicati, haud paucos modernorum propugnatores inuenit, quos inter eminent CASPARVS HOFFMANNVS, (b) DANIEL SENNERTVS. (c) HERMANNVS CONRINGIUS (d) HENRICVS REGIVS, (e) IOANNES VESLINGIVS, (f) THOMAS CORNELIVS (g) & alii quorum argumenta prolixius recenset THOMAS BARTHOLINVS & simul illa adiungit quibus ipsius parens ad eandem sententiam defendendam vsus fuerat argumenta (g), quorum refutationem tamen suscipere superuacaneum fore iudico, cum ex eo tempore quo per Haruaeum hepar a sanguificationis negotio fuit remotum, simul decretum fuerit lienis utilitatem in eo operे tantam non esse, quantam allegati viri sibi concipiebant. In primis ab illorum, ex modo enumeratis scriptoribus placitis recedendum esse iudico qui lectoribus persuadere conantur, partem quandam chyli aquosiorem ex ventriculo ad splenem deriuari, quo in hoc viscere in genuinum sanguinem permittetur nihil enim chymi per vasa brevia ad lienem adducitur, nec alii ductus illum aduehentes haetentus detecti sunt, vel unquam demonstrari poterunt. Non quidem inficias eo purpuram vitalem, dum per multiplicia eaque sat exilia vasa traiicitur, conquassari, in minutissimos globulos diuelli, splendentem rutilantem colorem eidem conciliari & propterea id in liene quod sanguificare appellant, perfici. Verum ob huncce finem solum lienem in sinistrum latus haud esse collocatum, vel illud euincit, quod grata rubens splenicus sanguis in vena portae

(a) problem. part. 2. (b) I. c. p. 80. sqq. (c) in Institut. med. Lib. I. C. IX. p. m. 64. sqq. (d) de sang. gener. & motu. (e) Lib. de fundam. phys. Cap. 10. (f) I. c. p. 57. (g) Progymn. phys. VI. p. 225. (h) I. c. p. 163. sq.

portae crasso nigroque hepatico sanguini adfundatur, & proinde sanguinis elaboratio in liene, rutilante cum nigricante sanguine statim iterum permixto, frustra peracta fuisse videatur. Hinc merito concluditur quod sanguificationis opus concernit, non adeo peculiarem praec aliis visceribus sanguiferisque vasis lieni praerogatiuam esse adiudicandam.

§. VII. Dum ad medium aeuum prouoluimus, sese nobis ponderanda offerunt Arabum volumina, horum nonnulli quos inter ipse est Auicenna eandem cum Galeno fouens sententiam, alii vero, quorum placitis subscripsit A E M I L I V S PARISINVS, definiunt lienem cordi subministrare sanguinem aquosum pro refrigeratione & humectatione, cui opinioni id obstare videtur, quod sanguis ex splene rediens per venam portae ad cauam propellatur, ideoque cum venarum crassiori sanguine permisceatur, antequam ad cordis ventriculos pertingat, ne dicam nihil aquosi in liene elaborari, nec refrigeratione cor opus habere.

§. VIII. Ad recentiores scriptores gressum accelerantes primum locum merito concedimus anatomiae restauratori A N D R E A E V E S A L I O cui persuasum erat (a) lienem suo calore innato ac frequenter, qui illum intertexunt, arteriis, ventriculi concoctionem fouere. Mirum est tantum anatomicum ad tale assertum efformandum induci potuisse, cum ipsem (b) confiteatur ventriculum lieni tantum quodammodo initi, id quod ipsa inspectio ocularis confirmat, quippe quae docet lienis maximam partem ventriculum haud attingere, ideoque hoc viscus ad concoctionem facilitandam parum vel nihil contribuere, multo minus digestionis promouendae gratia fuisse efformatum.

C 2

§. IX.

(a) l.c. p. 630. (b) l.c. p. 626.

§. IX. Peculiarem tractatum de liene euulgauit FRANCISCVS VLMVS, quem, ne sola veterum monumenta corrifesse videretur, noua de splenis vsu hypothesi exornandum esse censuit, dum docet: hocce viscus ex intestinis chylum ad se allicere, inde sanguinem &, quod magis est, spiritum vitalis elabore, qui per arteriam splenicam & aortam ad ventriculum cordis sinistrum deductus, inde iterum per omnes corporis canales distribueretur, (a) quam sententiam variis quidem argumentis roborare suscepit, quae tamen subiuncta refutatione adducere superfluum fore is facile iudicabit, qui iuxta leges circulationis sanguinis perpendet, arteriarum adminiculo ex visceribus nihil ad sanguinis fontem refluxere.

§. X. Parum ab Ulmo recedit CORNELIUS AB HOLELANDE (b) & qui illius opinionem vel plenarie, vel paucis mutatis sibi defendendam sumserunt, dum tradit lienis substantiam nihil aliud esse quam purum perpetuumque fermentum, cuius ope sanguis fermentando praeparatus ad salutarem corporis nutritiorem & spirituum generationem disponatur. Vel prout censet ALBERTVS KYPERVS (c) fermentum in liene praeparatum chylo in vena portae admiscetur, quo hic faciliter in sanguinem permutetur. Aut iudicante GOTHOFREDO MOEBIO (d) eiusdem fermenti ope sanguis terrestri copioso sero dilutus ex corde adductus ulterius perficitur, eum ob finem, ut feces conuenientibus in locis faciliter a purpura vitali separentur. Vel denique docente FRANCISCO DE LE BOE SYLVIO. (e) & qui huius vestigiis inhaeret incomparabilis anatomicus FREDERICVS RUVSCHIVS (f) sanguis arteriarum adminiculo ad lienem delatus, ibidemque cum continuo affluentibus spiritibus ani-

ma

(a) Conf. Laurent. I. c. p. 673, sq. & Gothofr. Moebius in fundam. med. phys. p. 38f. (b) Hist. aecon. animal. p. 190. (c) Anthropol. corp. hum. lib. I. cap. IX. §. 10. (d) I. c. p. 393, sqq. (e) I. c. §. XVI. sqq. (f) I. c. p. 12.

malibus permixtus in hoc viscere vterius digeritur atque sic in tincturae aut fermenti sanguinei essentiam exaltatur. Variæ sunt quae huic sententiæ fauere videntur, vt copiosos nervos, spiritus animales vehentes, per lienis substantiam dispergi, sanguinem floridiorem ex liene ad hepar reduci & plures ex rutilante quam crassiori sanguine celebrari secretiones. Quando vero ponderamus spirituum sic dictorum animalium ad sanguinem affluxum tantum esse suppositum sed nondum sufficienter probatum, praeterea sanguinis fluiditatem rutilantemque colorem ac secretionum varia genera perpetuo sanguinis motui, repetitae eius conquassationi nec non perenniae per & ad subtilissima vasa propulsioni esse adiudicanda, facile perspicimus debili admodum fundamento horum placitorum robur inniti. Ne, quod in specie Kypero erit respondendum, moneam, chylum crudum ad venam portae neutiquam abduci. Et hisce responsionibus credo MARTINO etiam KERGERO (a) satisfactum esse, quod enim de ventriculo vitulorum lac coagulante vrget argumentum, ad lienem applicari minime poterit. Nam licet demonstraret hocce acidum ventriculo naturaliter inesse, inde tamen non sequitur stomachum illud a liene recipere.

§. IX. His affinia sunt quae de lienis vsu tradit celeberrimus Anglorum medicus THOMAS WILLISIVS (b) licet principiis chemicis exornata illa proposuerit, dum existimat sanguinem per arterias ad lienis viscus delatum in illius meatus, ac, quas supponit porositates feculentias ex sale fixo & particulis terrestribus, combinatas deponere, quae inibi digestione quadam euehantur in succum valde fermentatiuum per venas reducendum, & sanguini continuo permiscendum, quo austoritatem & acumen liquido vitali conciliando huius motum intendat, & ad succi neruosi generationem concurrat. Rationes pro hac sententia stabilienda desumta videmus (c)

C 3

ex

(a) de ferment. p. 211. sq. (b) de ferment. cap. V. p. m. 19. de morb. convuls. cap. XI. p. 548. sqq. (c) de ferment. cap. V. p. 19.

ex pathologicis principiis atque obseruationibus, dum vbi fermentatio maior in liene consurgit ex eius mente affectus scorbutici atque hypochondriaci succedant e contra vbi sanguinis fermentatio minor splene obstructo vel scirrhofo hydrops, cachexia, tympanitis in conspectum prodeant. Ingeniosa quidem prout alia ita etiam de lienis vsu huius viri sunt cogitata, dolendum tamen illa plurimis niti suppositis. Quomodo enim faeculentiae salinae fixae & terrestres, posito nondum concessso tales adesse, in porositates, aequa suppositias, deponi, ex illis tam paruo temporis interuallo quo sanguis in arteriis venisque splenicis haeret succus fermentatiuus generari, hic massam sanguineam austerritate imbuere, & ad succum nerueum producendum concurrere queat, ego quidem non video. Nec adductae ex pathologicis petitae rationes hanc sententiam confirmant, cum Syluio teste in melancholicorum cadascribus lien ab omni culpa immunis deprehensus fuerit, & obseruante GVALTERO CHARLETHON (a) indubitate extispicii fide constat, quamplurima scorbuto extinctorum cadavera, cultro anatomico a morte confessim exposita, lienem, ut grauissimis antea oneratum criminibus, omni tamen culpa vacuum demonstrasse, nec de reliquis allegatis morbis, sufficienter declaratum est, an illi lienis vitio orientur, vel lienis morbi culpa morbificarum causarum istos affectus producentium, generentur? id quod, si instituti ratio hoc postularet, facillimo negotio posset demonstrari.

§. XII. Patronis fermenti lienalis accenseri meretur NATHANIEL HIGHMORVS (b) prolixas eidem vires adiudicans, docendo, succum melancholicum sanguini permixtum innata quadam lieni facultate, in hoc viscere congregari, fermentari & tandem particulas homogeneas combinari, quo cum reliquis purpurae vitalis particulis nutritioni inservire que-

(a) Lib. de scorbuto cap. VI, artic. II. p. m. 102. (b) in disquisit. anatom. corpor. human.

queant. Quodsi vero succus iste melancholicus maiori copia in sanguineo fluido oberret, & huic abundantiae ex Highmori mente splen prospicit, istos superfluos humores modo per mesentericas aut hae morrhoidales venas atque anum ablegando, modo eosdem per paruulas venas ductui pancreatico, & ex hoc intestino duodeno infundendo. Totum huius opinionis corruit fundamentum, quando ponderamus, tantopere a veteribus culpatum melancholicum succum in sanis corporibus non entibus esse annumerandum, nec, si vel maxime succus melancholicus secerneretur in liene, is ad aluum vel duodenum intestinum posset deriuari, cum omnis sanguis splenis viscus permeans venae portae infundatur.

§. XIII. Triplicem lienī usum attribuit IOANNES ANTONIDES van der LINDEN, (a) primum ut per arteriam splenicam vna cum laudabili sanguine omnis reliqui sanguinis crassum & terrestre in se recipiat, deinde illud ope partim circulationis, partim acerrimi caloris in veram melancholiā transmutet, & hanc tandem per uenam splenicam eum ob finem in venam portae, dimitat, vt non tantum crux ab abdominis visceribus ad hepar reflui exactissimam mixtionem procuret, sed etiam chylus ad hepaticus tendens facilius naturam sanguinis induat. Quot verbis tot fere supposita nullis idoneis argumentis probata nec unquam probanda. Quem enim nisi structurae humanae plane ignarum fugere poterit, lienem per arteriam splenicam aequē ut alia viscera purum floridumque ex arteriis sanguinem & ad huc viuidius rutilantem per ramum splenicum expellere, qua de causa merito miramur, sententiam de liene melancholiae domicilio per tot secula a tam praestantibus viris potuisse propagari. Destructo sic fundamento huius opinionis ab adductis particulis terrestribus petito, simul reliqua inde petita consecratio

(a) in medic. physiolog.

ria corruunt. Deficiente enim materia sic dicti succi melancholici deficiet ipse, & inde in sanguificationem redundantia emolumenta.

§, XIV. Peculiarem de lienis vsu fouet sententiam FRANCISCVS GLISSONIVS (a) cuius origo sine dubio ex peculiari, quam de lienis structura & nutritionis modo fouet opinione, erit deriuanda. Persuasum siquidem illi est fibras, quae secundum veterum anatomicorum placita per lienis interiora dispersae sunt, nihil aliud esse quam neruilorum congeriem, per neruos autem ad singulas partes succum nutritium deuehi, & per minutissimas fibras distribui. Cum autem ex illius mente succus nutritius in neruis facile coagulari queat, de idoneo liquido fluidiori sollicitus erat quod conglomerationem impediret. Hoc quia in aliis visceribus inueniri posse dubitabat, ad lienem confugiebat, & in hunc fontem & scaturiginem huius liquidus collocabat, quod deinde a dictis fibris, neruosis exceptum, neruis capillaribus, & ex his maioribus ramis infunderetur, donec tandem ad plexum renalem deriuaretur, & una cum succo nutritio, in neruis detento, ulterius distribueretur. Huic sententiae ex ea ratione inhaerendum esse censuit, quod crux ex liene refluens utpote subtiliori liquido orbatus solito crassior adpareat. Plurimum quidem soliditatis in recessu habere haecce modo proposita videntur, cuius tamen contrarium elucet si accurate examinentur. Patet nempe, vt supra declarauimus ex Ruyfchii observationibus fibrillas nerueas non tanta copia per lienem serpere vt vulgus anatomicorum sibi persuaserat, id eoque in defectu fibrillarum, quibus liquidum ad succum nutritium erat deducendum a paucis respectiue neruis, lienem perreptantibus hocce officium minime exspectari poterit. Imo ipsum

(a) in anatom. hepatic. cap. 4s.

ipsum fundamentum nutritionis per neruos absoluenda rationibus omni exceptione maioribus iamdudum a doctissimis viris est destructum atque dirutum, unde luculenter patet Glissonio assensum minime esse praestandum, praesertim cum argumentum a colore sanguinis lienalis desumptum, quo propriam sententiam stabilire conatur, contra ipsum Glissonium retorqueri queat. Sanguis certe, qui traiectis lienis vasis, ad hepar ruit non solito crassior obseruatur, sed grata rutilante colore oculos recreat.

§. XV. Ordinarium fatum illorum, qui, haud comparata solida structurae viscerum cognitione, ad determinandas quaestiones de usu partium se accingunt, expertus quoque est IOANNES BAPTISTA van HELMONT dum, vbi lienis usus est definiendus, partim talia profert, quae eidem minime accommodari poterunt, partim diuersa, imo plane contraria ab hocce viscere exspectanda pronuntiat. Annotatum quippe in superioribus fuit Helmontium a partibus eorum stare, qui succum, sive ut appellat, fermentum acidum in liene elaboratum ad ventriculum deferri, quorum plane immemor alio loco (a) asseuerat, arteriarum splenicalium tortuositatem exactiorem sanguificationem promittere, quasi vero in uno eodemque viscere simul fermentum acidum elaborari, & sanguificatio intimior possit perfici, & quo magis negotii lieni crearet, illudque viscus pluribus operationibus oneraret in illud sedem imaginationis, (b) somni & insomniorum (c) nec non generationis seminis virilis (d) collocauit, ac ne vlla in parte tam nobile viscus insons repe-reretur, in eodem asthmatis causam quaequivit. (e) Ostendum iam foret cur Helmontii placita illis accenseamus, a quibus recedendum esse persuasum habemus, verum nihil

D

occur-

(a) de Jure duumvirat. §. 48. (b) l.c. §. 51., de duumvirat. §. 56. de concept. §. 1.2.
 (c) de jure duumvir. §. 38. (d) l. c. §. 42. & 45. (e) de asthmate & russi
 §. 58. & 59.

occurrit quod oppugnandum sit, cum magnus alias vir nullas adduxerit rationes suas cogitationes stabilientes, contra solam ergo Helmontii auctoritatem militandum foret, id quod nulla necessitas flagitat, in rebus enim medicis, praecipue physiologicas quaestiones concernentibus, non auctoritatibus sed rationibus est pugnandum. Videtur quidem Helmontio fauere quod in melancholicis phantasiam haud raro corrumpatur, ac illi saepius asthmate spurio laborent, ast huius argumenti vires iterum Syluii infringunt obseruationes testantes in melancholia lienem nunquam non ab omni culpae reatu esse absoluendum.

§. XVI. Quoad omnia Helmontius consentientem inventit FRANCISCVM OSWALDVM GREMBSIVM. (a) cui præterea, spiritum quendam inebriantem ex stomacho ad liensem deduci, placet, iterum non adduetis rationibus quibus vel veritatis fœsus, huic opinioni illiniri potuisset, vnde cum præcipue nullae occurrant viae per quas eiusmodi spiritus spleni communicari possit, huic sententiae argumentis obuiam ire minus necessarium fore quiuis facile iudicabit.

§. XVII. Ex pacificorum medicorum numero suisse GREGORIVM HORSTIVM seniorum vel exinde elucet, quod, ne dissidentium odium incurret, diuersorum medicorum placita combinando nouam hypothesin de lienis vsu efformauerit. Adscribit siquidem lieni (b) materiae melancholicae a sanguine separationem, chyli crassioris in sanguinem ignobiliorum mutationem, partium adiacentium nutritionem, succi excrementitii famis excitandae causa ad ventriculum propulsionem, risus hilaritatisque suscitationem, potulentorum ex ventriculo educationem. Quae singula cum in antecedentibus paragraphis iam sint ponderata contra illa nihil monebimus, si excipias illa verba quibus nutritionem vicinarum partium lieni adiudicat, quod veritati minus consentaneum esse,
vel

(a) l. c. Lib. I, Cap. VIII. §. 6. p. 84. (b) Oper. Tom. I. p. 63.

vel illud docet, quod omnis ex liene refluus sanguis ad solum hepar dederatur, cuius visceris nutritioni illum haud inseruire inde fluit, quod sanguis ex splene redux venae portae, non nutritioni hepatis, sed generationi bilis prospicienti, infundatur ac praeterea in cane, cui splen extractus erat, nullam in reliquis visceribus labem inuenierit oculatissimus MARCELLVS MALPIGHIVS. (a)

§. XVIII. Haud minorem laborum cumulum lieni imposuit GVERNERVS ROLFINCIVS (b) prosecutorum Jenensium facile praestantissimus, dum illi non solum particularum faeculentiarum & terrestrium a massa sanguinea segregationem demandat, sed eidem praeterea harum partium ulteriore coctionem, & si abundant per arterias & ductum pancreaticum ad intestina & renes expulsionem iniungit. Cui sententiae, quo minus subscribamus, impedit, quod partim nullae terrestres particulae maiori copia ad lienem quam ad alia viscera vrgearunt, partim viae non allegatae sint, per quas faeculentiae ad ductum pancreaticum deportentur.

§. XIX. Qui praecipuus ratione structurae lienis a veterum delineatione plenarie recesserat MARCELLVS MALPIGHIVS, nouae descriptionis ductu, nouam quoque, licet quae illius erat modestia, dubitatue tantum de splenis usu hypothesin, produxit (c) secundum quam sanguis insignem alterationem in liene subit, dum venoso sanguini peculiaris liquor per arterias & nenuos ad glandulas delatus ibique a purpura vitali separatus affunditur, qui deinde ad venam portae propulsus ex reliquis visceribus allatum sanguinem refermentando, praecipitando, singula dissociando, novo inducto motu & turbatis mutuis adhaesionibus ad bilis separationem atque exaltationem disponit. Annotauit iam aequa incom-

D 2

para-

(a) l. c. p. 128. (b) in epitom. method. cognosc. et curand. particul. corpor. affect, Lib. VIII. consil. 3. p. 713. (c) l. c. p. m. 130. sqq.

parabilis anatomicus IOANNES BOHNIVS antequam praestantissimus Ruyschius suas euulgasset obseruationes, varia dubia, quae etiam *circulo anatomico-physiologico* inferuit, (a) hanc sententiam premere. Validiora autem argumenta suppeditant Ruyschii injectiones, quibus detegitur, nullas glandulas in lie-ne peculiarem liquorem, bilis generationem facilitantem, elaborantes extare, nec ideo talem hepatico sanguini affundi.

§. XX. Strenuum nactus est Malpighius Sectatorem PHILIPPVM VERHEYENIVM, qui primarium lienis usum nullum alium, quam a Malpighio indicatum esse iudicauit, secundarium tamen eidem, nempe lymphae a massa sanguinea segregationem iunxit. (b) Verum prout primarius hicce usus ob iam dicta lieni adsignari haud meretur, ita secundarius non sufficienter fuit declaratus, cum ex dictis non pateat, quem ob finem lympha ex sanguiferis vasis eliciatur, & ulterius deuehatur. Sola autem lymphae separatio proprio lienis scopo, ut ex inferius dicendis patebit haud sit habenda.

§. XXI. Acutissimis ingeniiis quae magna Brittannia, imo uniuersus aluit eruditus orbis merito annumerandum esse GUALTERVM CHARLETONVM, fatebitur is, qui vel semel eius scripta est perscrutatus, hinc merito ab illo de lienis usu meditata erunt ponderanda, quae concessit in *librum de scorbuto* (c) Sane elegantissime ex structura splenis petitam huius visceris deductam suppeditat utilitatem, docendo, propter miram fibrarum implicationem, ingentem arteriolarum numerum & intertextos plurimos iheruos aliter fieri non posse, quin sanguis attenuetur, in riuulos inumeros distribuatur & in minutissimas moleculas diffingatur, quo eiusdem coagulatio, post emensum tam prolixum a corde iter, praecaueatur, & sic vitale liquidum conceptam fluxilitatem retinens itineris reliquum absque coagulationis metu ad finem perducat, simul haud obscure

(a) p. 257. (b) Anat. corp. hum. p. 87. (c) att. 13. p. 103. sq.

scure innuit, se in ea opinione haefisse, in glandulis a Malpighio suppositis aliquam secretionem fieri. Ne de ultima huius hypotheseos parte aliquid moneamus, prohibemur ex iam allegato fundamento, quod nempe glandulae industria Ruyschii ex lienis viscere sint proscriptae. Maiorem vero attentionem postulat potior, priorque eiusdem pars. Hodierno sane tempore nemo inficias ibit, perpetrari in liene insignem sanguinis conquassationem, fluidissimumque liquidum ex liene remeare; an vero hoc sufficiat ad coagulationem sanguinis praecauendam in reliquo eiusdem itinere, hoc est de quo valde dubito, cum vitalis purpura ex liene redux prius ad venam portae, in qua diuersarum venarum, ideoque crassior sanguis, coaceruatur deportetur, quam ad venam cauam deducatur, ideoque energia antea infringatur quam ad cauam penetrat. Et cur quaeſo Summum Numen in corporis medio organum sanguinis coagulationem impediens collacaset cum eiusdem congrumatio potius in pedibus, aliisque remotioribus partibus, in quibus a corde impressus impetus languidior obſeruatur, maiori iure effet pertimescenda. Regeri quidem posset venam cauam ex omnibus partibus visceribus que refluente excipere sanguinem, eumque non adeo fluidum, necessarium proinde esse, ut in loco aliquantisper a corde remoto eidem nouum adiumentum addatur, idque ex nullo alio viscere quam liene posse deriuari. Verum qui perpendet sanguinem per venam cauam adſcendentem succedentis sanguinis pulsu ſuccellue eleuari, eundem in aliquali fluiditate conſeruari, & praeterea sanguinem per ramum ſplenicum adproperantem respectu illius, qui ex aliis visceribus ad cauam ruit minimam quantitatē constituere, & quod magis attentionem meretur vena portae infusum a fluiditate mirum quantum recedere, facile agnoscet non eum ob finem omnibus animalibus lienem effe concessum, vt sanguinis coagulatio in toto reliquo itinere praecaveatur & eiusdem pro-

D 3

gres.

gressus versus cor promoueatur. Accedit & illud quod secundum quorundam obseruationes nec ipsa vena caua systal-tico motu plane sit destituta.

§. XXII. Adhaeret veterum placitis DOMINICVS PANAROLVS (a) in eo quod afferit lienem sanguinis faeces recipere & humorem acidum per vas breue ad ventriculum, quo corrugetur, alegare. Dissentit vero ab illis, docendo potum inmoderatum, ne cibus a superflua humiditate obruat, per vas breue ad lienem deduci, & ex hoc viscere per arterias coeliacas & emulgentes ad renes propelli. Funda-mentum huius sententiae Panarolus, & qui cum illo senti-unt exinde depromunt quod lien neque chamaeleonti, ne-que aliis animalibus concessus dicatur, quae renibus atque vesica sunt destituta. (b) Hancce opinionem dum sub ex-a-minis incudem reuocamus, facile deprehendimus, illam, vt-pote circulationis sanguinis principiis e diametro oppositam applausu minime dignam, vas siquidem breue tantum san-guini vehendo est destinatum, arteriae nihil ex visceribus re-ducunt, & quae denique coeliacam inter & emulgenter arteriam demonstrari poterit connexio? Nec forsan illa obser-uatio de defectu lienis vniuersalis veritatis erit, cum in mil-vo cui lien est denegatus vicarium quoddam corpus siue glandula notetur, obseruante IOANNE de MVRALTO. (c) Sic in ipso chamaeleonte perspexit IOANNES NICOLAVS PECHLINVS (d) lienem quidem desiderari, eius tamen lo-co particulam quandam rudem atque cruentam ventriculo negligentius adsutam occurrisse, quale lienis vices sustinens corpus fortassis ab accuratioribus anatomicis in aliis animalibus poterit detegi. Accedit & illud, quod referente MARCELLO MALPIGHIO, (e) canis, cui lienem exemerat, indeficien-ter,

(a) In chamaeleont. examinat annexo obseruat. pentecost p. 201, sq. (b)
Conf. Barthol. I. c. p. 168. (c) misc. N. C. Dec. II. Ann. 2. Obs. 29
(d) Obseru. med. physic. Lib. II. obs. 70. p. 386. (e) I. c. p. m. 126.

ter, & frequentissime urinam emiserit, id quod ab aliis quoque obseruatum esse legimus. (a)

§. XXIII. Qui pluribus argumentis euincere suscepit mucilaginem qua ossa in articulationibus illinuntur ope peculiariū in iuncturis sitarum glandularum segregari, CLOPTON HAVERVS persuasum habuit, ab hisce glandulis quidem secretionem dictae mucilaginis perfici, simul tamen alio viscere opus esse, in quo eiusdem praeparatio absoluatur, quod munus, cum aliis visceribus demandari haud posse videret, lienem huius mucilaginis officinam esse asseueravit, (b) quo ex fundamento me plane fugit. Cur enim in tam remoto ab articulis viscere elaboratio huius mucaginis perpetrari debeat, cum solae glandulae, si quae adsunt, sufficerent, & sane si admitteremus tale quid in splene produci, illud, dum liene expulsum a uena portae excipitur, ex hac ad venam cauam eliminatur, inde ad cor migrat, & ex hoc per centena vasa distribuitur antequam ad articulos deueniat, censes immutabitur & in floridum iterum sanguinem conuertetur.

§. XXIV. Vlmi supra recensitam opinionem paucis mutatis suam fecit ANTONIVS DEVISINGIVS (c) cui persuasum erat, lienem tum ob proprietatem substantiae suae, tum ob crassamentum inter plexus residuum sanguinem per arterias adductum fermento imbuere, & non obstante quod per hepar ac venam cauam demum ad cor deuehatur, ad faciliorem elaborationem spirituum vitalium in corde absoluendam disponere. Non hac vice contra Deusungium vrgebo spiritum vitalem, si per eundem aliquid a sanguine vividiore diuersum intelligatur, non entibus esse annumerandum, sed tantum monere licebit, nihil crassamenti in plexibus lienalibus haerere; nullis idoneis argumentis haec tenus euictum esse fermentum

(a) Conf. Bohn. I. c. p. m. 479. (b) in osteolog. nov. discurs. IV. (c) in idea fabric. corp. hum. part. I. cap. VI. p. 86.

etum in splene generari; nec tandem sanguinem in hoc visceri conquaſſatum acquisitam fluiditatem ad cor vsque conservare, cum venae portae ambages, venamque cauam per means, quoad consistentiam vitali liquido in venis detento iterum ſimilis euadat.

§. XXV. Veterum medicorum placitis adhaerere videtur DENISIVS, (a) dum acidum succum in liene produci afferit, verum ab illis discrepat in adſignanda vtilitate ab hocce ſucco exſpectanda, quem eum ob finem elaboratum eſſe censet, vt maſſae ſanguineae nimiam tenuitatem corrigat, eiusque ebullitionem refraenet. Assenſum huic viro eſſe denegandum facile iudicabit, cui ponderare volupe eſt ſplenicum ſanguinem, non arteriis in quibus vegetior purpurae vitalis motus obſeruatur, ſed venae portae, in quam ſanguis ex plurimis venis infimi ventris, ideoque impulſu fere deſtitutus, recipitur, infundi, ideoque hic loci non fraeno ſed ſtimulo opus eſſe, quo ſanguinis progreſſus per laxum hocce viſcus promoteatur.

§. XXVI. Iisdem veſtigiis aliqualiter post JOANNEM JACOBVM WEPFERVM (b) inhaerere videtur DN. DE CAVX (c) tradendo, bilis generationi obſtare ſanguinis moſum fortiorem celeremque, qualis per arterias celebratur, proinde venam portae, huic ſecretioni deſtinatam, ſanguinem ex ventriculo, iñteſtinis, aliisque partibus & praecipue liene excipere, cui viſceri diuerticuli munus ſit concretum, quo ſanguinem, bilem a ſe dimiſſurum, temperet eiusque impetum nonnihil coērceat. Contra hoc aſſertum in quantum bilis ſecretionem concerneſt nihil quidem monendum venit, quo minus vero posteriori eiusdem parti ſubſcribamus, impedit non ſanguinem crassiorem, ſed fluidiorem, ac proinde ad ſan-

gui-

(a) in diſſert. academ. conf. Boha. l. c. p. 254. (b) de apoplex. obſeruat.
(c) in opusc. philoſoph.

guinis impetum refraenandum minus idoneum, ex splene ad venam portae derivari.

§. XXVII. Illos inter qui lienem in generatione bilis hepati auxiliatrices manus porrigit haud reformidant afferere, militat quoque Celeberrimus Vitembergensium Hygieiae antistes CHRISTIANVS VATERVS, (a) qui non absque fundamento iudicat arteriosum sanguinem per tot anfractus vasorum trajectum haud superficiarie attenuari, & superfluam lympham in lymphaticos tubulos alegari. Dissentire autem ab illo licitum erit, in istis quae ulterius de lienis vsu subiungit, succum siquidem subiungit aëreum & spirituofissimum ex nervis producentem cum sanguine combinari, eumque hoc modo magis digestum attenuatumque ad hepar defluere, quo bilis secretio facilitetur. Quamuis & ego inficias ire nolim splenicum sanguinem haud parum ad bilis secretionem contribuere, hanc tamen celeberrimi Vateri sententiam quo minus quoad omnia momenta defendendam mihi sumam obstat, quod modus, quo sanguis ex liene redux ad bilis generationem concurrat, non sufficienter sit expositus. Vrgeri simul & illud posset, quod succi aërei & spirituofissimi neruei adfluxus ad sanguinem quidem affirmatus, non vero demonstratus sit, imo plane superuacaneam huiusmodi liquidi subtilioris affusionem esse persuadere videtur lymphae tanquam fluidioris sanguinis partis per lymphatica vasa a reliqua purpurae vitalis in liene haerentis portione segregatio. Cur enim a sanguine qui spirituosior reddendus erat subtilius fluidum separandum sit ego perspicere nequeo.

§. XXVIII. Ex orci faucibus Erasistrati opinionem reuocasse videtur vir alias eleganter doctus G V N T H E R V S CHRISTOPHORVS SCHELHAMMERVS dum adstruit, (b)

E lie-

(a) Physiolog. experiment. Sect. VII. cap. VIII. Thes. 9. (b) in analect. anatom. physiolog. exercitat. X. Th. 40.

lienem solummodo diuerticuli sanguinis vices subire, quo, dum in dextris ad hepar, medio corpore in pancreas & ventriculum abit, in laevo huc conflat, ne ex hoc latere nimio impetu feratur ad renes. Quid enim hisce verbis exprimitur nisi quod corporis viscera inconcinna ratione sint composita, & per consequens ne renes nimia affluentis sanguinis copia obruerentur opus fuisse ut viscus nullis usibus inseruiens in sinistrum latus disponeretur, quae sententia non solum in huius vniuersi creatorem est iniuria, sed etiam adductis rationibus facile destruitur, ex quibus unicam adduxisse sufficiet, quae petita est ex fluxilitate sanguinis ex liene remeantis. Quando enim ad alia viscera in infimo ventre sita respicimus, sanguinem inde refluxum rutilante colore exutum esse obseruamus, cum sanguis liene expulsus floridiori rubro colore sit ornatus, certissimo indicio lienem non diuersorii concedendi causa tantum esse animalibus concessum, sed plura ab hocce viscere esse expectanda. Robur quidem SCHELHAMMERVS suis placitis exinde conciliare conatur, quod animalia exfecto liene frequentius liquorem obscenum emingant, & sic tacite innuant, sanguinis diuerticulo subtracto eius maiorem copiam ad renes tendentem copiosiorem vrinae quantitatem deponere. Ast concessso quod purpura vitalis maiori nisu ad renes ruat, ubi lien deficit, inde tamen nihil sequitur, nisi hanc valde remotam & minime praecipuam utilitatem esse adpellandam, vel potius vrina celerius excernitur quia lympha vrinae vehiculum in liene non separata maiori quantitate per renales tubulos eliminatur.

ee) §. XXIX. Euulgauit ante decennium, & quod excedit, IOANNES GEORGIVS a BERGEN, Viadrinae academie Professor dignissimus, peculiarem dissertationem *de lienis stratura & usu*, in qua cogitata sua, ab aliorum placitis plane discrepantia, proponit (a) Haec in eo consistunt, quod lien abundan-

(a) p. 18. sq.

undantem lympham ad commune receptaculum dimittendo chyli distributionem promoueat. His ut maiorem veritatis speciem affricaret, quatuor vtitur rationibus, chylum nempe plurima lympha ex glandulis conglomeratis & congregatis adfluente in primis viis humectari, quo dilutior redditus facilius per vasa lactea traiiciatur, hinc mirum non esse si adfimetur lienem lympha sua chylo diluendo inferuire; subnedit lienis substantiam ideo tomentosam esse, quo lympha copiosius in ea secernatur; addit pro lymphae secretione lienis colorem diuersum notari, ac tandem iungit in infantibus lienis molem respectiue maiorem esse. Contra quae regerere licebit concedendo lympham lienis ad chyli dissolutionem concurrere; inde tamen non sequitur hunc pro primario lienis vsu esse reputandum. Nec quod alterum concernit ratiocinium inde maior pro hac hypothesi resultat probabilitas, cum, ut ipse Bergenus confitetur, lymphae separatio lienii cum omnibus reliquis infimi ventris visceribus est communis, imo in ipsorum pulmonum superficie plura quam in liene apparere vasa lymphatica ab illis, qui cadereribus delicatos digitos immergere renuunt, videri poterit in delineatione superficie pulmonum a THOMA WILLISIO exhibita (a) horum tamen primarium munus esse chyli fluiditatis conseruationem nemo temere asserere audebit. Multo minus argumentum tertio loco adductum aliquid valoris huic hypothesi conciliat, qua enim ratione sequatur, lienis color variat pro diuersa lymphae secretione, ergo lienis ope chylus diluitur, ego inuenire nequeo. Quartum tandem potius contra Bergenium militat. Quod si enim in infantibus lienis moles maior obseruatur & per consequens lympha respectiue copiosior segregari potest, ubi tamen chylus nondum elaboratur ideoque diluendus haud est, aliis vobis hocce viscus destinatum esse inde merito deducitur. Cur quae so ad unum scopum adimplendum cui tot viscera secundario inferuiunt unum vi-

(a) Pharmacop. ration. part. II, sect. I. cap. I. p. m. 18.

scus seorsim exstruendum fuisset? Regerit quidem BERGENIVS in aliis visceribus excretorios ductus conspicuos esse hinc patere lymphae secretionem secundario ab illis perfici, lienem autem tali ductu esse destitutum, & proinde chyli coagulationem impedire eiusque motum promouere; sed non vallet consequentia. Fluiditas sane purpurae vitalis & rutilans eiusdem color, quae non obstante lymphae secessione in splenico sanguine conseruantur luculentissime demonstrant, alium ob finem quam ob lymphae separationem lienem finistrum latus occupare.

ff. §. XXX. Lymphae secretionem quidem primarium lienis officium esse cum Bergenio quoque supponit, vir cui anatomicum praecipue ac botanicum studium plurima debent, AVGUSTVS QVIRINVS RIVINVS in dissertatione *d: lienis genuino usu* (a) recedit autem ab illo vbi lymphae secretae utilitas est adsignanda, quam in eo positam esse censet ut per hiantes membranae lienis poros transudans circumiacentes partes in specie ventriculum & intestina humectet, lubricet, & proinde liberum motum illis conseruet, quae ne gratis afferi videantur eadem subiunctis argumentis fulcienda esse consultum duxit. Praesupponit itaque ad motum partium in toto corpore perficiendum humectatione opus esse, ita ut minimorum ossiculorum iuncturae peculiari lympha imbuantur, quare eodem iure stomachum atque intestina peculiare liquidum motum peristalticum secundans postulare. Huius autem liquidi riuiulos ex lienis ductibus promanare, quatuor rationibus, seu potius experimentis evinci posse docet. Adducit quippe lienem illae sum recentem, ex ove, cane aliisue animalibus extractum flatu immisso quidem expandi, aërem vero, licet vasis probe obturatis non retinere, certissimo indicio membranam lieni propriam foraminibus esse pertusam. Vrget porro lienem, adhuc sanguine calentem atque turgentem

fi

(a) p. 33, sq.

si prematur circa extremitates guttas ex poris dimittere illis, quae corpore ad sudorem prono ex compressis digitis protrumpunt, similes. Monet postea easdem guttulas, liene antea mediante manu sicca, strophiolo, vel linteo ab adhaerente humiditate liberato, in vberiori copia profilire, si per syringam aqua in venam splenis iniiciatur, & eosdem tandem poros manifestius in conspectum prodire, si loco aquae mercurius viuus splenicis vasis iniiciatur, hunc enim, eodem modo, ac si depurationis gratia per corium traiicitur, exitum moliri. Audaciam quidem sapit tanti viri moliminibus se opponere velle, nihilominus tamen cum veritatem sectandam esse semper iudicauerim, quae contra hanc sententiam dubia mihi enata sint proponam. Non quidem diffitor ventriculum atque intestina externa quoque humectatione ad peristalticum motum facilius peragendum opus habere, huius tamen liquidi origo fortassis felicius ex omento quam ex liene posset deriuari, cum praesertim ventriculi minima portio a liene attingatur. Nec contrarium suadere allegata videntur experimenta, quod enim primum concernit, quo docetur flatum lieni immissum in eodem haud contineri, de eo aliorum experimenta contrarium adserunt. Opponamus ergo magno anatomico Riuino alterum magni nominis anatomicum M A L P I G H I V M, qui disertis verbis testatur (a) lienem inflatione non solum in excedentem magnitudinem distendi, sed eandem etiam licet exsiccatur conseruare. Memini etiam me aliquando a DN. Praefide audiuisse, se, dum in alma Salana medico studio operam nauauit, per mensem & ultra lienem vitulinum flatu distentum eductis prius per repetitas cum aqua tepida injectiones sanguine & fibris, asseruasse. Non quidem inficias eo haud raro lienis membranam aërem transmittere hoc tamen non in illaeso viscere contingit, sed in tali eius tunica aliqua in parte est pertusa, nisi enim dum eximitur caute & maxima cum circumspectione tractetur, facile laetatur.

(a) I.c. p. 114.

di ur & deinde aeri transitum concedit, prout varii *anatomici* obseruarunt. Dubito proinde an argumentum secundo loco adductum laudatam sententiam magis firmare queat, non quidem nego lienem turgentem compressum guttulas effundere posse, ast quantum ego coniicio foramina per quae istae guttulae eliminantur vi formata esse videntur cum praeципue requiratur manu vel linteo humiditates adhaerentes esse abstergendas, sub quo actu facile lienis membrana tenuior praesertim in homine dilaceratur. Dum enim lien humoribus contentis turgens premitur, maior lymphae pars in lymphatica secedit vasa, tenuissima tunica inuestita, quae ob copiam adductae lymphae ~~timis~~ expansa atque rupta laudatam lympham guttatum effundunt. Idem contra argumenta tertio & quarto loco allegata erit vrgendum, cum aqua in splenis arteriam blanda manu iniecta successive per oppositam venam redeat, quando vero illa fortiori nisu impellitur, vt ad lymphatica quoque vasa protrudatur, haec interdum ad ruptionem & subsequentem lymphae effusionem disponit, id quod multo facilius succedit mercurio viuo loco aquae usurpato, quippe qui ob proprium pondus, externo impulsu accedente, maiori impetu vasa disrumpit, ideoque de poris contra naturam & vi efformatis nullum solidum iudicium de poris naturaliter in liene occurrentibus erit formandum, id quod tanti viri, omni veneratione digni, pace affirmare licitum erit.

89) §. XXXI. Euulgauit praeterito anno medicam dissertationem vir, cuius solidam & per omnes eruditionis partes diffusam doctrinam omnes ab inuidia liberi mecum aestimant, in qua haud paucas praefantissimorum virorum variis de rebus sententias examinando & suas quandoque cogitationes interpolando, ad lienis usum deuenit, de quo sentit in illo acidum ex sanguine secerni, quod partim ad ventriculum, partim ad pancreas ablegetur, & proinde liquorem ventriculi ga-

stri-

stricum & succum pancreaticum a liene produci. Haec ita se habere colligit ex connexione lienis cum ventriculo per vasa brevia, ex illius mente liquorem gastricum adduentia nec non cum pancreate; ex sanguinis per venam splenicam redeuntis floriditate, quam secretionem, in primis acidi, sanguinem inspissantis & colore fusco imbuentis, factam innuerre persuasum habet; ex vitiis lienis ob iunctam melancholiam & tristitiam peccans acidum latitare indicantibus; ex mali hypochondriaci, lienis dolorem comitem habentis, affinitate; & ex faciliori adductorum phoenomenorum secundum hanc hypothesin explanatione. Non hac vice examinabo an succus pancreaticus atque liquor gastricus de acido aliquid participent, cum talia huius loci non sint & in id potius inquirendum veniat an acidum in liene separetur? Negatiuam amplectendam esse illi mecum censem, qui, vel semel ingeniosissima ab incomparabili BOHNIO (a) producta experimenta ponderauit, quibus constat, neque sanguinem lienarem sapore acido praeditum fuisse; neque aquam, in qua lien bubulus membrana detracta per aliquot dierum interualium maceratus fuerat talem saporem linguae obtulisse; multo minus lienem bubulum cum lacte coctum hoc coagulauisse; vel infusum splenicum more acidorum syrupum violarum rubicundo colore tinxisse, & quae sunt alia elegantia experimenta fusius in allegato Bohnii scripto peruestiganda, quae adducere velle superuacaneum foret, adductis, id quod demonstrandum erat, sufficienter probantibus, quare, ne prolixa nimis, quae contra hanc hypothesin monenda veniunt, euadant, ad argumenta ponderanda nos accingimus. Horum primum desumptum erat a nexu lienis cum ventriculo, per vasa brevia, hunc autopsiae ductu omnes anatomici vnanimi ore concedunt, illa autem aliquid ad ventriculum deducere, est quod plurimi strenue negant. Fauere qui-

(a) in dissertat. de diuumuirat. hypochondr. annexa circ. anatom. physiol. p. 486. sq.

quidem huic sententiae videtur observatio quam *Miscellaneis Naturae Curiosorum* inserere curauit Illustris GEORGIVS WOLFGANGVS WEDELIVS, (a) qua in testatur se in anatomie cadaueris feminei vomitu cruento extinti vas breue, calatum scriptorium aequans in ventriculum ramos aliquot disseminans, quorum unus stylum in ventriculum admiserit, inuenisse. Ast quando attendimus ad insignes istos spasmodicos motus qui durante vomitu in ventriculo contingunt, non mirandum erit vasa ad ruptionem disponi & per consequens stylo transitum concedere. Plane aliter se res habet in sanis corporibus, in quibus nihil ex liene in ventriculum deriuari posse euincit MARCELLI MALPIGHII (b) experimentum, qui ligato splenico ramo ac vasis breuis portione ventriculo vicina, ne sanguinem ex stomacho redeuntem exciperet, nihil humidi ex liene, licet insigniter turgeret, ad vasa brevia deriuari obseruanit, quae potius flaccida euadebunt. Accedit & illud, quod canes extracto liene ipsa ossa solidiora aequa bene appetant & digerant ac antea (c) certissimo indicio, scaturiginem liquoris gastrici ex liene non esse deriuandam. Pancreas cum liene connecti nemo erit qui negabit, hoc autem viscus suum succum non a splene recipere luculenter demonstrat experimentum a REGNERO de GRAAF institutum (d) qui cani viuenti lienem extraxit & nihilominus post binorum mensium spatium notabilem succi pancreatici quantitatem ex eodem cane colligit. Alterum argumentum pro hac hypothesi stabilienda allatum bimembre esse obseruamus, dum adseritur viuidum sanguinis splenici colorem. primo secretionem, deinde separationem acidi a sanguine factam esse arguere quibus obstatre videtur, quod liquidum vitale ex aliis visceribus, facta secretione, remeans potius obscuro quam viuido colore praeditum sit, nec ob acidum separatum rutilantem colorem

(a) Dec. I. Ann. IX. & X. Obs. 20. p. 68. sqq. (b) l. c. p. 129. (c) conf. Bohn. l. c. p. 254. (d) de succ. pancreatic. natura & yslu cap. II. p. 27. sq.

rem in splenico sanguine obseruari, colligimus pulmonum exemplo, ex quibus sanguis floridus, licet nihil acidi in illis sit segregatum, ad cor reducitur. Nec, quo ad tertium & quartum argumentum simul respondendo vna fidelia duos dealbemus parietes, morbi humores acidos pro causa agnoscentes, & liensem vel seorsim, vel vna cum aliis visceribus affientes declarant, acidi secretionem in hoc viscere contingere, dum enim acidi humores splenem ad morbos disponunt facile inde colligimus secundum naturam tales humores in eodem haud segregari; in nullo siquidem viscere secretioni dicato morbi vel ex ipso liquore secernendo secundum naturam constituto, vel ex sola eiusdem abundantia, si forsan hoc regerere placeret, morbi oboriuntur. Et cui quaeso usui inseruiret ista separatio? Cum ex dictis acidum, siue aliud liquidum neque ad ventriculum neque ad pancreas ablegetur, ac praeterea portae infusum sanguinem in illa contentum coagularet, & quae tandem vasa distributioni huius acidi destinanda ac quaenam viscera illud recipientia constituenda forent. Quod ultimum tandem concernit ratiocinium, de huius valore prius iudicare non licet, quam demonstratum sit, huius hypotheseos ope phoenomena allegata conuenientius posse enodari.

§. XXXII. Ultimo tandem loco ponderanda restant quae reconditorum naturae scrutatori nullis inferiori IOANNI-GODOFREDO BERGERO de lienis usu literis consignare placuerunt (a) non quasi haec hypothesis, ingeniosissima sane, reliquis sit post ponenda, sed quo finis coronet opus, & lectorum oculi recensitorum ponderatione desatigati huius elegantia iterum recreentur. Perspexit siquidem oculatissimus vir sanguinem, qui ad portam devehitur, ex diversorum viscerum venis adduci, & eapropter ad coagulum primum esse, qua de causa

F ne-

(a) physiolog. med. p. 216.

hhj

necessarium esse merito iudicat ut sanguis fluidior ad hepar advehatur, qui biliosas particulas a compedibus gelatinæ, cui intricatæ atque immersæ sunt, liberet hoc autem a nullo alio viscere tam promte expectari poterit, quam a liene, per quem ejusque copiosissima vasa propulsus sanguis in inumeras minutissimas moleculas divisus sanguinem dissolvendo bilis secretionem egregie promouet. Quam opinionem licet quoad verba ab eadem dissentire videatur, posterioribus cogitationibus priores emendant IOANNES BOHNIVS in dissertatione de duumviratu hypochondriorum, (a) &, qui paucis mutatis ILLUSTRIS BERGERI verba sua fecit GEORGIVS PHILIPPVS NENTERVS (b), ac cum his alii. Hanc quoque sententiam illis inseruimus a quibus recedere audemus, non quia contra illam aliquid moneri posse persuasum habemus, cum ipsimet in ea haereamus opinione, bilis generationem haud parum a liene secundari, sed quia in hoc momento praecipuum lienis utilitatem non quaerendam esse ex infra dicendis deducemus.

§. XXXIII. Plures quidem opiniones de lienis usu sedula medicorum scriptorum lectio suppeditat, quas tamen ne proferamus duplex vetat ratio, vel enim obscuriores sunt ut auctoris mens vix penetrari queat qualis est illa AVRELII PHILIPPI THEOPHRASTI BOMBAST ab Hohenheim dicti PARACELSI (c) qui lieni peculiarem ventriculum siue digestionem tribuit, excretorium autem ductum inueniri negat, quo etiam spectat illa PURCELLII sententia, cui persuasum est, bilis secretionem ope praecipitationis a liene deriuandae absolui; vel aliorum auctorum de splenis vsu placita ab illis quae adduximus, non quoad rem, sed tantum quoad verba discrepant.

Cap. III.

(a) l. c. p. 490. (b) physiol. med. cap. IV. membr. IV. art. L. (c) libr. de modo pharmacand. tract. I.

CAP. III. LIENIS GENVINOS VSVS EXHIBENS.

§. I.

Antequam a liene exspectandis vsibus pedem admoveamus, primo loco, quid in hoc viscere fiat, erit ponderandum. Hoc suscipientes, facile deprehendimus illud peculiaris liquidi secretioni minime esse destinatum, cum ex antea dictis pateat neque ad ventriculum, neque ad pancreas ex splene aliquid ablegari, multo minus per haemorrhoidalia vasa quidquam dimitti, quia arteria haemorrhoidalis nullum immediatum cum liene alit commercium, nec haemorrhoidalis vena in omnibus subiectis ramo splenico inseritur. In confesso quidem est per lymphatica vasa insignem lymphae portionem ad commune receptaculum mediantibus lymphaticis splenicis vasis duehi, hanc tamen lymphae secretionem primarium huius visceris scopum haud esse, iam in superioribus declaratum dedimus. Nihil ergo a splene praeter sanguinem, eumque haud leuiter mutatum remeare videmus, quem ea de causa genuinum lienis productum appellare licebit. Haud superficiarie mutatum inquam sanguinem a liene redire. Nam quando respicimus ad vitalis purpurae vndam ex aliis visceribus refluente faciliter perspicimus, illam obscuriore colore esse tintam, e contra autopsia teste sanguis ex ramo splenico venae portae infundendus floridissimo rutilante colore, non obstante lymphae largo successu, superbit & fluiditate fere ipsum arteriarum sanguinem vincit, luculentissimo indicio nihil aliud in hoc viscere perpetrari, quam ut sanguinis moleculae cohaerentes a se inui-

cem diuellantur, conquaſſentur, attenuentur & ſic fluidiſſimus ſanguis elaboretur, id quod aliter fieri non poſſe, ipſa artificioſiſima huius viſceris ſtructura moſtrat, quae cum nihil aliud ſit quam congeries innumerabilium vaſorum ſanguiferorum, in minutiſſimos ramulos diribitorum, ac reticulari textu ſibimet inuicem implicatorum per quae vitalis purpura traiecta in minimos globulos motui magis aptos redigitur, vnde partim rubedo, partim fluiditas ſplenici ſanguinis erit deriuanda, qui hac ratione praeparatus ex ſplenicō ramo veneae portae infunditur. Inprimis autem haec intimior ſanguinis diſſolutio neruis ſpleniciſ erit attribuenda, qui ut ſupra indicavimus per totam lienis compagem diſtributi inprimis arteriis etiam minutissimis combinantur, quibus proinde validiorem conciliant texturam ad ſanguinem premendum atterendumque magis aptam, hinc eſt quod pauca viſcera tanto impetu in vitalem purpuram agant, illiusque cohaerentes particulas tanta vi a ſe inuicem diſiungendo fluidiorem ſanguinem efforment. Merito hinc miramur, quo iure magni alias nominis anatomicus RAYMUNDVS VIEVSENIUS affuerare potuerit (a) cratiorem ſanguinem ex liene ad hepar remeare.

§. II. In propatulo itaque eſt omne id quod in liene elaboratur hepati infundi, quem ob finem autem ſplenicus ſanguis hepatico admisceatur definire velle, rebus altioris indaginis eſſe annumerandum, omnes nobiscum fatebuntur quibus ad tot differentes de huius viſceris uſu a tam perspicacißimis ingeniiſ prolatas ſententias respicere placet. Omnia ſane deniſiſimis tenebris ſunt inuoluta, hinc quo ſplendidior lux noſtræ hypothefi affulgeat, neceſſitas rei poſtulat, ut primitus hepatis interiora, quantum ad praefens negotium ſpectabunt, perlustremus. Hunc laborem, dum nobis extantlandum ſumimus, ſine diſcultate manifestamus, nullum

(a) In vaſor. corpor. hum. nouo ſystem. p. 219.

viscus in vniuersi corporis machina tam facile infarctibus obnoxium fieri, ac hepar. Textura siquidem eiusdem est mollis & laxa, absque pluribus neruis intertextis, ac ideo ad sanguinis circulum promouendum minus apta, sanguis quidem in illo per arterias, ast in minima quantitate, disseminatur, maiorem copiam subministrante vena portae, quae postquam in iecur introitum inuenierat in quinque maiores conicos ramos & postea in innumerabiles minores distribuitur, qui contentum sanguinem non immediate ex arteriis hauriunt, sed eundem per arterias coeliacas & mesentericas ad varia viscera ablegatum demum ex venis recipiunt, qui proinde ex arteriis in venarum ampliorem cavitatem deriuatus a cordis impetu longe remotus tardiori impulsu ad venam portae propagatur, vbi plures difficultates superandas, plurimaque vascula permeanda inuenit, ast quo auxilio? quo motore? procedit quidem circulatio sanguinis satis libere, vbi ex angustioribus arteriolarum ductibus vitalis purpura continuato pulsu in patentiores venarum riuos deuehitur, ast vbi ex amplioribus venarum tubulis vitale liquidum per aequem patulum venae portae orificium ad coarctata atque extrema minutissima venae portae vascula est propellendum, vbi nullus impulsus accedit, id difficilioribus est annumerandum negotiis, & sane nihil in ipso hepate ac potissima reliquorum viscerum parte latitat, quod sanguinis motum per hepatis interiora liberum conseruare, eiusdem coagulationem praecauere & hepar ab obstructione liberum conseruare posse. Ambit quidem venam portae capsula ab inuentore Glissoniana appellata, verum huius pulsus tam langidus tamque vermicularis fuit deprehensus, vt haud pauci celeberrimorum anatomorum non absque ratione dubitauerint, an reuera ab hacce capsula pulsus sit exspectandus. Minus ergo hocce portae velamentum sufficiens erit ad sanguinis motum per hepar secundandum, huiusque obstrunctiones praecauendas. Adducitur quidem sanguis aliqualem impulsu ab arteriis adhuc

F 3

tetib

retinens per venas, sed qui perpendent illum impulsum languidissimis esse accensendum, facile diiudicabunt eundem non sufficere ad infarctus auertendos, cum sanguinea massa non in loca haud resistentia propellatur, sed tubis infundatur minutissimis & praeterea propriarum tunicarum elasticitate sanguinis motum non promouentibus, sed potius eidem resistentibus & quod adhuc magis est in augustissimos apices desinentibus. Quid inde aliud quotidie exspectari poterit, quam quod sanguis lento gradu per venas prouolutus, semper ad concretionem pronus, ob deficientem impulsu[m] primitu[m] in remotissimis venae portae capillaribus ramulis, subsistat, ac tandem vniuersum illius truncum oppilet. Hoc ne fieret, nec bilis secretione sufflaminata chylificationis negotium languesceret, sapientissimum numen in oppositum latu[m] lienis artificiosissimam structuram collocauit, in qua non solum supra descripta methodo fluidior sanguis elaboratur, sed is quoque ob copiosiores intertextos neruos viuidiori impetu ex splenico ramo in venam portae protruditur, ad quam deuolutus agiliores has moleculas per crassiorem venarum sanguinem dispergit, quo huius gelatinosae particulae plus iusto cohaerentes segregantur, diuellantur, & sic HEPATIS OBSTRVCTIO PRAECAVEATVR, in quo primarius lienis usus erit positus.

§. III. Praeuideo plurimas difficultates hanc sententiam premere, quare ad illas remouendas erit approperandum sic quod supra iam inculcatum est, quidam regerere possent in chamaeleonte aliisque animalibus lienem deficere, & proinde colligerent, si in ipsis animalibus absque lienis ope sanguinis motus per hepar liber absque succedente huius visceris obstructione peragitur, nec hominibus splen huncce ob finem est concessus. Quibus respondendum erit lienem quidem deficere, eius autem locum vicarium quoddam eundem esse. Etum producens occupare, prout ex supra dictis clarum est.

Vrgeri

Vrgeri ab aliis posset lienem absque noxa in hepar redundante ex diuersis animalibus fuisse extractum, quem ob finem prouocabunt ad LEONARDVM FIORAVANTVM, qui teste THOMA BARTHOLINO (a) mulieri graecae lienem vncias XXXII. pendentem exemit; adducent IOANNEM MICHAELEM atque CHRISTIANVM IOANNEM LANGIVM (b) canes $\alpha\omega\lambda\eta\nu\varsigma$ per plures annos perfecte sanos aluisse; subiungent MARCELLVM MALPIGHIVM (c) in cane cui lienem demserat nihil labis in hepate offendisse; ac simile factum obtigisse TIMOTHEO CLARKIO (d) qui post integri anni interuallum in cane, liene destituto, omnia viscera bene constituta imo floridiora deprehendit; nec ab hisce obseruationibus discrepare illas VERHEYENI I. (e) Verum talia opponentibus regerere licebit ex adducto exemplo sectionis a Fioravanto peractae quidem sequi lienem absque vitae periculo eximi posse, inde vero minime sequi aequa feliciter ut antea circulationem per hepar fuisse peractam, nec forsitan perfecte sanis ista mulier accensenda postmodum fuit, quia, ut recte ait, PHILIPPVS VERHEYENIVS (f) homines beneficio medicinae magnis eruptos miseris facile sanos dicimus, & se ipsi ut tales agnoscunt, licet sanitas sit admodum imperfecta. Concedo porro in canibus, tanquam agilioribus animalibus, in quibus ob continuum cursum motumque sanguis fluidior ad coagulationem & inde pendentem obstructionem minus aptus obseruatur, non tam praesentaneum incommodum in hepar regurgitare. Quo minus vero à nostra sententia recedamus & in canibus quoque iecinoris infarctum vel scirrum, lienis ope haud praecaueri adseramus vetant experimenta incompatibilis IOANNIS BOHNII (g), ex quibus constat, liene extirpato bilem non solum intra folliculum felleum crassam, lentam,

(a) Hist. anat Cent. IV. Hist. LI. p. 346. sqq. Conf. M. N. C. Dec. I. An. IV. & V. obs. 165. (b) oper. part. I. p. 135. (c) I. c. p. 126. (d) M. N. C. I. c. obs. 164. (e) I. c. p. 88. (f) I. c. (g) dissert. de duumuir. hypochondr. I. c. p. 484.

ta in, atque viroris obscuri fuisse obseruatam, sed etiam ductus hepaticos, vel bile plane destitutos, vel coagulo bilioso congelato & sero nigricante fuisse infarctos, certissimo indicio vena portae obstructa nouiterque elaborata bile in hepaticos ductus non amplius secedente illam fellis portionem, quae iam in tubulos hepaticos abierat coagulo obnoxiam factam fuisse. Haud spernenda quoque argumenta, pro nostra sententia stabilienda, pathologia & anatomia in morborum causas inquirens suppeditat, notum siquidem est in illis morbis in quibus sanguinis conquassatio in liene remissior contingit hepar ad obstructionem vel totalem vel partiale in clinare, sic tumori lienis haud raro icterus flauus, species obstructionis partialis hepatis, succedit; (a) icterus niger sae- piissime post vitia splenis appetet; in iecore scirrhoso lie- nem adeo exilem ut vix vnciam penderet, & proinde minus sufficientem ad obstructionem hepatis praecauidam vidit RIOLANVS teste THOMA BARTHOLINO (b); deficiente liene hepatis substantia compactior, id est ad obstruc- tionem prona vel iamdum infarcta obseruata fuit; (c) in abortu monstroso conformato cum liene & hepar defecit; (d) lien fabulosum ichorem fouens hepatis molem praegrandem reddidit; (e) lien quasi contusus ita laxus ut fricari potuerit, & proinde minus efficax ad sanguinem conquassatum tenuio- remque hepati subministrandum huius visceris, licet id non exprimatur, obstructionem produxisse, ex illis colligimus quae in THOMAE BARTHOLINI *actis medicis & philo- phicis* occurruunt; (f) liene extirpato hepar penitus exsiccatum. repetita experientia vidit IUSTVS VESTI (g) id quod de- monstrat biliarios ductus cum nihil amplius, bilis ex congru- mato

(a) Conf. Lommii Obseru. med. lib II. p. m. 167. (b) I. c. p. 123. (c) M. N. C. Dec. II. Ann. III. p. 397. (d) M. N. C. Dec. II. Ann. II. p. 314. (e) M. N. C. Dec. III. Ann. I. p. 204. (f) Volum. I. p. 37. (g) Occo- nom. corpor. human. p. 54.

nato in hepate sanguine receperint, collapsos, hepatis mollem minorem reddidisse. Plura his addere possem nisi superfluum iudicarem tot obseruationes corradere, cum praecipue allegatae sufficienter probent, id quod erat probandum. Praeuideo quidem mihi & illud obiici dubium posse quod istis mouetur qui bilis generationem a liene promoueri sentiunt, nondum scilicet demonstratum esse hepatis morbos lienis vitio ortum debere, quando ambo simul afficiuntur & aequo iure lienis affectus a vitio hepatis posse deriuari. His autem respondendum erit, se haud ponderare nihil ex hepate lieni infundi, si lien nihil ex hepate recipit, quomodo splenis morbi hepatis culpa generabuntur? E contra lien quidquid continet hepati largitur hinc sanguine florido in liene non amplius elaborato motus vitalis purpurae in hepate fatiscit, & obstruktiones vel scirrhi producuntur, id quod praepri-
mis ex adducta RIOLANI obseruatione patet. Sane si in alle-
gato hoc casu lien maior copiosiorem fluidioris sanguinis co-
piam elaborasset, scirrus non fuisset enatus. Superpondii
loco & illud ad stabiliendam nostram sententiam addendum
erit, quod animalia demto liene in reliquis operationibus
nullam noxam dignoscendam suppeditent, aequo bene appe-
tant, digerant, egerant, circulatio sanguinis in reliquis par-
tibus, excepto hepate, viget, aequo salaces sunt, concipi-
unt, foetus suos excludunt, mingunt, vigent aliae in
corpo operationes, quod certe fieri non posset si praestan-
tiorem aliumve ob finem hocce viscus esset constructum,
hinc solummodo hepatis gratia lien est efformatus, &
quod demonstrandum erat huius visceris obstruktionem
praecauet.

§. IV. Illorum sententia qui lienem non adeo nobile
viscus esse adstruunt, firmo tali haud nisi partim ex allega-
tis, partim ex eo patet, quod illud generationi bilis simul

G

suc-

succurrat. Notum siquidem est, bilem omnes inter succos qui in corporis machina secernuntur, visciditate reliquos facile superare, & praeterea particulas biliosas in vena portae sanguineis ex diversis venis refluens, proinde non adeo fluidis, sed potius ad coagulum pronis esse intertextas, hinc diacrisis earundem, ob grossiores quas constituunt, moleculas ad transitum minus aptas, fieri haud posset, nisi sufficienter diluerentur atque diuellerentur. Hoc ergo est, quod iterum a splenico sanguine exactissime attenuato poterit exspectari, qui venae portae infusus compactas cohaerentesque sanguinis moleculas dissoluit, atque disiungit, & sic aliquantis per attritis particulis faciliorem bilis percolationem promovet. Ne vero sanguis floridissimus in liene elaboratus hepaticum sanguinem nimis diluendo oleosas preeprimis particulas nimis dissoluendo & a serosis iterum segregando, bilis elaborationem plane impedit, nouo artificio prospexit Summus corporis Architectus, vas scilicet lymphaticis, per quae abundans lymphae portio separatur ad commune receptaculum deuehitur, & sic praecauetur, quo minus hepatico sanguini nimia fluxilitas concilietur.

§. V. Licet haec de secundo lienis usu hypothesis tam clara sit, ut propria perspicuitate se tueri queat, nihilominus tamen suos aggressores inuenit, qui obiciunt, id quod iam supra est inculcatum, quaedam animalia absque liene bilem separare, & hinc collendum esse bilis generationem vtique absque lienis auxilio posse ad finem perduci, verum ea, quae supra contra hocce dubium sunt adducta, vetant hac vice plura contra illud monere. Alii urgent fellis secretionem in animalibus quibus lien est exsectus aequa bene ac antea procedere, quem ob finem ad obseruationes prouocant, quas in dubium vocare quidem nolo, illis tamen licitum erit obser-

uata

uata celeberrimi BOHNII opponere, qui docet (a) in eiusmodi animalibus bilem intra folliculum crassum, lentam, viroris obscuri, in ductibus epaticis vero modo nullam plane, modo in thrombos congelatam & fere nigricantem fuisse visam. Quod vero in quibusdam subiectis bilificatio non plane sufflaminetur, hoc exinde deriuandum esse censeo, quod obseruante FRANCISCO DE LE BOE SYLVIO (b) arteria hepatica cum ductibus epaticis commercium alat & per consequens eiusdem sanguis vices splenici sanguinis aliquantis per gerat. Monent postea bilis mutationem aliunde saepius contigisse, id quod inficias ire nolumus cum plures causae ad unius visceris robur labefactandum concurrere queant, interim tamen hoc ratiocinium nostrae hypotheseos fundamentum non euertit, cum demonstrandum fuisset nec unquam nec frequentius lienis culpa hepar laborare. Subiungunt fellis mutationem post lienis extirpationem nihil aliud innuere, quam debitam sanguinis quantitatem ad iecur non amplius deriuari. Veritatis quidem speciem hocce argumentum praese fert, cum splenicus sanguis demto liene ad venam portae haud propellatur, eius tamen loco copiosiorem sanguinis undam tum per arteriam hepaticam tum per venas affluere, vel illud indicare poterit, quod demto liene hepatis magnitudo insigniter aucta fuerit deprehensa. Addunt nullum viscus in vniuersa natura alteri sanguinem praeparare. Hoc asserendum esse dissuadet cordis consideratio, quod non solum vitalem purpuram per vniuersum corpus distribuit, sed etiam una cum arteriis omnibus partibus vitale illum liquidum praeparat. Obiiciunt tandem sanguinis portionem a liene redeuntem exiguum esse, maiorem quantitatem a ventriculo aliisque visceribus suppeditari in quibus tamen nulla praeparatio fiat. Quibus regerendum erit eapropter pra-

G 2

para-

(a) Dissert. de duumirat. hypochond. l. c. p. 484.

(b) disput. med. VI.

parationem sanguinis in liene fieri, ut vitium sanguinis ex venis reliquis adducti corrigatur, quantitatem vero illius non adeo magnam esse, ne, ut ex supra dictis fluit copiosior purpurae vitalis fluidioris affusio biliis generationem tollat; BILIS itaque PRODUCTIONEM ALIENE IUVARI merito secundarium lienis usum esse affirmamus.

§. VI. In binis itaque recensitis primarias lienis operaciones consistere haud dubitamus affirmare, interea tamen illis item non mouebimus, qui remotioribus huius visceris usibus accensere malunt, quod chyli divulsionem & cum particulis sanguineis combinationem secundet, (a) cum hoc in omnibus visceribus, praecipue illis quae copiosioribus arteriis praedita sunt, contingat. Nec ab illis plane recedemus, quibus placet iisdem remotioribus splenis usibus annumerare, quod copiosiorem lympham ad commune receptaculum ablegando ad chylum diluendum simul concurrat, cum idem ab aliis partibus, licet aliis peculiaribus operationibus dicatis, simul praestetur.

§. VII. Deduximus itaque ex lienis intimiori cognitione notitiam certam de illius genuinis usibus, siue quae physiologiam concernunt, fluere, restat adhuc, ut, quod in prooevio innuimus, appendicis loco demonstremus exactam struture lienis cognitionem in alias quoque medicinae partes clarius lumen diffundere. Haud pauca sane symptomata, quo ad pathologiam primo loco pedem promoueamus, negotium facessunt, quorum veras causas suppeditare nemo poterit, nisi qui in lienis consistentiam fibrillarumque illius dispositionem atque connexionem sedula manu inquisiuit. Ex quorum numero, ut quaedam saltim vel ultimo digito attingam, quis declarabit, cur hypochondriaci

(a) Conf. Frid. Hoffman, medicin. rational. system, Tom. I. p. 144.

driaci in quibus splen simul laborat interdum conque-
rantur de pectoris angustia & respirationis difficultate, ni-
si prius ex anatomicis didicerit scriptis, lienarem plexum
haud paucas fibrillas nerueas ab intercostali neruo recipere,
hinc neruis lienaribus constrictis, simul per consensum inter-
costalis neruus affectus atque corrugatus organa respirationis
inseruentia & per consequens tum respirationem difficilio-
rem reddit tum angustiam pectoris procreat. Diffundit se
postea anatomiae, respectu lienis, utilitas in istam medicinae
partem quae morborum signa inculcat. Quomodo enim me-
dicus investigabit lienem tumore vel superficiario vel scirrhofo
distendi, nisi prius ab anatomico edocetus fuerit qua corpo-
ris in regione lienis viscus sit quaerendum. Tandem & ipsi
practici ex intimiori lienis structurae cognitione & inde ma-
nante usu practicas regulas sibi poterunt efformare. Con-
stat siquidem ex dictis usum lienis primarium in eo esse col-
locatum, vt hepatis obstructionem praecaveat, hinc elegans
manat obseruatio, quod nimurum in hepatis obstructione ex-
terna remedia non soli regioni hepatis, sed quoque ibi esse
applicanda ubi lien situs est. Nam externis quoque tali in
morbo viscidorem sanguinem attenuare suscipimus, hic au-
tem scopus facilis non obtinetur quam si fluidioris sanguini-
nis ad hepar affluxum prouocemus, id quod obtinetur sili-
en roboratus viuidorem sanguinis undam ad hepar prouol-
uit, merito ergo tali in casu externis quoque simul lien pro-
spicitur. Quod vt lege artis perficiatur altera cautela, ana-
tomicis fundamentis superstructa, practica attentionem me-
retur in morbis nempe hepatis, in quibus lien tumore vel
scirrho una non laborat, non anteriori sed posteriori corpo-
ris parti remedia externa esse applicanda, cum hocce viscus
in posteriori corporis regione situm magis inuenierit. E con-
tra ubi lien simul morbosus versus exteriora extenditur, per-
inde erit, siue anticae, siue posticae corporis parti, externa

54 CAP. III. LIENIS GENVINOS VSUS EXHIBENS.

admoveantur. Ne vero allata solis speculationibus niti videantur proponenda erit obseruatio a DN. Praefide mihi communicata. Ab hoc ante biennium & quod excurrat auxilium flagitauit iuuenis, qui a tertiana ab empirico quodam & ab huius recidua alterius empirici ope liberatus fuerat, gravioribus tamen succendentibus malis. Inuadebat enim eundem tumor lienis insignis ad scirrhi naturam accedens, sequebatur febris quartana, primum simplex, hinc duplex, cuius socius tandem ieterus licet superficiarius tantum in conspectum prodibat, a quo morborum concursu debita accedente methodo medendi immunis redditus fuit, praecipue tamen re- censita mala, in specie ieterus, ex eo tempore remittebant, quo lienis regioni emplastrum ex emplastro de gummi ammoniaco & de cicuta compositum

admovebatur.

S. D. G.



C



HENRICO FRIDERICO SCHMIDIO ARTIS SALVTARIS CVLTORI STRENVO

S. P. D.

PRAESES.



Ureum est effatum quod medicinae parens
pronuntiat in elegantissimo libro de decent:
ornat. text. V. Ιατρὸς Φιλόσοφος. ισόθεος. Phi-
losophia enim est veritati causarumque il-
lius indagatrix, quae, qua ratione verum a falso, utile
ab inutili distinguendum sit, uberrime docet, idque non
tantum in illis eruditionis partibus, quae in specie ad
philosophiam referuntur praestat, sed utilitatem suam
in alias quoque disciplinas imo ipsam medicam artem
extendit. Merito ergo qui veri genuinique Hippocra-
tis filii nomen ambit philosophiae sacris se consecrat an-
tequam ad Hygieiae mysteria prorumpit. Hinc facilio-
res magisque prosperos in ipso studio medico videbit pro-
gressus qui sophiae cultum non neglexit. Proprio TVO
exemplo NOBILISSIME SCHMIDI huius rei verita-
tem confirmas, non enim illotis, ut aiunt, manibus ad
salutaris artis ambitum TE contulisti, sed quod Hippo-
crates iubet philosophicos praemisisti labores, accessisti
postea

postea ad Hygieiae penetralia &, quod absque fuso, testari possum, summa cum sedulitate & non interrupia serie meis lectionibus siue publicis, siue priuatis, siue examinatoriis, siue disputatoriis, quibus totius fere medicæ artis ambitum illustravi, interfuisti, simul propria industria, quæ ad medicum studium exhauriendum faciunt, addendo haud vulgarem eruditionem comparasti. Huius publicum testimonium ut ederes me suoſore & manuducente intricatum de lienis vſu negotium explicandum suscepisti. Perge huic viae haerere, cogita ſempre medicinam & philosophiam ſororio nexu eſſe combinatas, ſic non ſolum in theoria ſed quoque ipſa praxi felix fortunatusque medicus euades. Benedicat Summum Numen ſtudiis TVIS ulterius ac exoptatum quam proxime eorundem finem TIBI concedat. Vale. Scribam in academia Iulia die XX. Octobr.

MDCCXXIII.

(O)

Ansatz B 256, 21